V c
716

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0001-6

III, 75 I, 148.




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0002-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0003-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0004-3

# PETRI LOTICHII SECUNDI
Poëtæ inter Germanos facilè
principis
# ECLOGA,
in qvâ
*Sereniſsimæ duæ Germaniæ*
Domûs
# SAXONICA
ET
# PALATINA
ab origine prima percenſentur;
*Expoſuit publicè*
& Notis partim Philologi-
cis, partim Hiſtoricis ex optimis pro-
batiſſimisqve autoribus illu-
ſtravit
L. JOACHIMUS FELLERUS,
POES. P. P. IN ACAD. LIPSIENSI,
*Cum Indiculo duplici rerum memorabilium.*

---

*LIPSIÆ,*
Sumptibus GEORG. HEINR. FROMMANNI.
ANNO M. DC. LXXXII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0005-8

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

*SERENISSIMIS PRINCIPIBUS*
*AC DOMINIS*
# DN. JOHANNI GEORGIO IV.
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
AC MONTIUM,
ELECTORALIS PURPURÆ HÆREDI,

*ET*

# DN. FRIDERICO AUGUSTO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-
VIÆ AC MONTIUM,
LANDGRAVIIS THURIN-
GIÆ, MARCHIONIBUS MISNIÆ,
SUPERIORIS ITEM AC INFERIORIS LUSA-
TIÆ, BURGGRAVIIS MAGDEBURGENSI-
BUS, COMITIBUS PRINCIPALIBUS HEN-
NEBERGICIS, COMITIBUS MARCÆ,
RAVENSBERGII ET BARBIÆ,
DYNASTIS IN RA-
VENSTEIN,

*DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS*
HISTORIAM HANC
SAXONICAM ET PALA-
TINAM
*ANTIQVIOREM*
VELUT IN NUCE
*D. D. D.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0007-9

INter rara & chara ſuperioris ſeculi cimelia meritiſſimo ſuo referebat duos Saxoniæ ex linea Erneſtina Principes juniores, JOH. FRIDERICUM II. & JOH. WILHELMUM, in Academia Wittebergenſi publicè declamitantes Theologorum orthodoxorum princeps Lutherus. Ita autem ille in præfatione declamationibus illuſtriſſimorum Fratrum præmiſſa: *Vidimus & audivimus his diebus ſingulare & apud Germanos inuſitatum exemplum, qvòd duo Fratres, alter tertium decimum, alter qvartū decimum annum ingreſſus, habuerunt duas Orationes latinas contiguas coram tota Univerſitate. Et hi Fratres non infimæ, nec mediocris, ſed ſummæ nobilitatis, puta ſummo clariſſimoq́ loco nati, nempe filii illuſtriſſimi Principis noſtri ac Domini Dn.* JOH. FRIDERICI, *Ducis Saxoniæ, Electoris &c. omnium ſtudiorum, artiū & virtutum patroni clementiſſimi. Ego ſanè inter cæteros admirabar ve-*

*vehe-*

*hementer non ſolùm iſtam animi magnitudinem in pueris, qvâ in tali ac tanto cœtu, nihil territi, latinè & dexterrimè perorabant, ſed etiam tàm purè, tàm graviter, tàm diſtinctè ac ferè memoriter, qvaſi ex tempore dicerent, omnia perorabant. Simul ſuccurrebat recordatio temporis paulò ſuperioris, in qvo non inveniſſes ex omni (qvod dicitur) multitudine Eccleſiaſtica, Pontificum etiam Romanorum, Cardinalium, Epiſcoporum, addo Doctorum, & qvicunq́; voluiſſent audiri doctiſſimi inter eos, qvi tale aliqvid præſtare potuiſſet. Certè magnum decus, magnamq́; gloriam literæ, utut ſint apud alios magnates & proceres contemtæ, in iſtis clariſſimis & illuſtriſſimis Principibus conſecutæ ſunt, nec minore gloriâ ipſas viciſſim Principes tantos ornaverũt.* Non abſimile qvid de VOBIS, PRINCIPES Saxoniæ ex linea Albertina SERENISSIMI, pronunciare nobis licet hoc tempore. Præterqvàm enim, qvòd in eodem cum illis faſtigio conſtituti fulgidiſſimos Virtutum principaliũ de VOBIS qvaqvaverſũ ſpargitis radios, in eodẽ fermè ætatis flore & Latinæ & aliarũ exoticarum lingvarum admirandam, qvâ divinitate ingenii eſtis, acqviſiviſtis notitiam, imò in Eloqventiæ

qvoqve atqve Hiſtoriæ campis non exigua jam ſpatia confeciſtis. De Electore illo Saxoniæ, qvem Patrem venerabantur duo illi celſiſſimi Oratores ſic Lutherus: *Ipſe cum aliqvot aliis Principibus unà præſens audiebat, magno (ut credere par fuit & ſatis apparebat) gaudio, ſcilicet Pater filios ſuos, eâ ætate tàm feliciter , idq́ꝫ brevi tempore in literis profeciſſe.* Ecqvid animi potentiſſimo Parenti veſtro, JOHANNI GEORGIO III. Electori itidem Saxoniæ, ac Domino noſtro clementiſſimo fuiſſe dicam, cùm Budiſsâ Wittebergam venientem pridiè, qvàm præter eqveſtrem Saxonici circuli Ordinem, Academicos civesqve oppidanos ſolenni ſibi ſacramento obſtringeret, oratiunculis terſis, iisq́; memoriter redditis exciperetis? Nimirum gaviſus eſt penitiſſimè cum Parente illo Sereniſſimo, ſeqve Gazas habere divitiis Crœſorum ac Craſſorum omnibus longè pretioſiores intellexit. Sed non minora, FRATRES CELSISSIMI, Subditorum de VOBIS omnium, literatorum maximè, ſub umbraculo Electoralis Rutæ reqvieſcentium, ſunt gaudia. Cùm enim Eruditio, ſecundùm Æneam

Syl-

Sylvium, Pontificem poſteà maximum & Pii II. nomine inſignitum, in plebejis argento, in Nobilibus auro, in Principibus gemmis margaritisqve pretioſiſſimis ſit ſimilis, non poſſumus non Uniones atqve Adamantes Electoralium ditionum VOS agnoſcere, vel Orienti univerſo gemmarum ac margaritarum feraciſſimo longiſſimè anteferendos. Agnoſco certè ego cum tot hominum myriadibus, cùmqve inter Poëtas loco non poſtremiſſimo ſim poſitus, à gemmantibus cœleſtiſſimarum Virtutum veſtrarum fulgetris clementiſſimos mihi radios non vanè polliceor. Sanê à Regibus ſummisqve Principibus in amoribus deliciisqve Poëtas fuiſſe habitos, nemo vel perfunctoriè in Hiſtoriis volutatus, ignorat. Chariſſimi enim Auguſto Imp. erant Virgilius Maro & Horatius Flaccus, Domitiano Papinius Statius & Valerius Martialis, Marco Antonino Severi filio Oppianus, Gratiano Auſonius, & apud Græcos Macedoniæ Regibus Menander, Archelao Euripides, Hipparcho & Polycrati Samio Anacreon.

Neqve ignotum, qvanti tùm Homerum, Poëtarum illum Platonem, & Pindarum, Lyricorum coryphæum, æſtimârit Alexander Macedo, qvem rerum geſtarum amplitudo Magni cognomine ad immortalitatem ſeculorum omnium conſecravit. Nempe hujus ſolius familiæ penatibusq́ve parci à militibus volebat, cùm urbem Thebas cepiſſet, omniaqve ferro ac flammâ jam devaſtaret; Illius verò Iliadem de manibus nunqvam deponebat, ſemper lectitabat, perpetuò meditabatur, imò dormiturus qvoqve in caſtris unà cum gladio ſub cervicali reponebat. Jam de Imperatoribus, Regibus, Principibusq́ve illis qvid dicam, qvi non deamârunt tantùm exornâruntq́; felicia Poëtarum ingenia, ſed ipſi qvoq; in bicipiti ſubinde ſomniarunt Parnaſſo, & graviſſimis Imperii curis delaſſati Poëtici aliqvid muſinando ſe recreârunt? Solum Auguſtum, tanqvam examuſſitatum Principis exemplar, adduxiſſe hoc loco ſufficiat. Is uti in ſummæ fortunæ ſpem educatus abs avunculo Jul. Cæſ. nec aliis qvàm eloqventiæ, Philoſ. & antiqvitatis ſtudiis ſub Molone, Sphæro, Areoq́; erat im-

imbutus, ita inter ipſa qvoq; bella arduaq́; Imperii negotia ingenium, cùm vacuum eſſet, legendo & ſcribendo, poëtando ac declamando exercebat. Sed & hoc & alia id genus exempla, non ignorare poteſtis, PRINCIPES JUVENTUTIS DOCTISSIMI, qvi, Auguſti exemplo, tùm præcepta, tùm exempla, qvæ publicè privatimq́; ſalutaria atq; utilia eſſe poſſunt, in volutatione optimorum autorum notaſtis jamdudum atqve excerpſiſtis. Cùm enim præter Politicam, diſciplinarum omnium μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν, ut vocat Ariſtoteles, Mathematumq́; ſcientiam hæc duo Principum debeant eſſe ſtudia, Eloqventia videlicet atq; Hiſtoria, non è Poëtis tantùm atqve Oratoribus, ſed ex Hiſtoricis qvoqve non niſi optimos atqve probatiſſimos delibâſtis, inq́ve ſuccum illos & ſangvinem, qvod ajunt, convertiſtis. Et ô beatos nos, ô ter & qvater beatos, qvibus præter propitium JOVEM, etiam CASTOREM & POLLUCEM ſuſpicere in cœlo Saxonico licet, Electoratui aureum, imò Auguſtéum qvoddam ſeculum promittentes! Ita enim Eruditorum qvisqve tripudiare cum Plinio, alterq; al-

teri acclamare jure poteſt: *Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine, adhuc honor literis durat.* Gaudeo profectò ego præter cæteros ſolenniter, deqve propenſiſſimo veſtro in Poëtas amore nihil qvicqvam dubitans hoc qvicqvid libelli Philologico-hiſtorici eſt, deponere ad ſolium ſublimitatis veſtræ ſuſtineo. Præmiſi in illo, ut videtis, Carmen Heroicum, ſcriptum à *Petro Lotichio Secundo*, Poetâ nulli veterum impare, & hodieqve non Germanis tantùm, ſed & Italis, Gallis ac Belgis æſtimatiſſimo, idqve *Heroi Saxonico*, h.e. JOHANNI WILHELMO Duci Saxoniæ, qvem tanqvam juvenem Oratorem in Academia olim Leucorea Lutherus, ut ſuprà dictum, admiratus eſt, & *Heroinæ Palatinæ* h. e. DOROTHEÆ SUSANNÆ, FRIDERICI III. Electoris Palatini filiæ conſecratum qvidem nuptiis illuſtriſſimis, ſed in cæteris pariter SAXONICÆ ac PALATINÆ Gentis Heroibus percenſendis celebrandisq; occupatum. Adſperſi poſtmodùm huic carmini flores partim *Philologicos*, partim *Hiſtoricos*, eosq; non aliunde niſi ex ſelectiſſimis celeberrimisq; ſcriptoribus dili-

diligenter & cum curâ congeſto. Qvod opuſculum, qvàm minutulum etiam ſit, cùm ſtudiis veſtris, ILLUSTRISSIMI PRINCIPES, diſconducibile eſſe neqveat, nec aliâ à me fini ſit concinnatum, qvàm ut in tanta Philologorum atqve Hiſtoricorum multitudine tædio VOS aliqvo levarem, agite id ſereniſſimâ, qvâ ſoletis, fronte ſuſcipite, & inde qvoqve, ut cum Livio loqvar, qvod imitemini, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, qvod vitetis, capite. Eſt enim, ut omnis Hiſtoria, ita Saxonica qvoqve, *theatrum, ubi qvam ad tempus perſonam geſſére Viri principes, perpetuò ſuſtinent; ubi ſua cuiq; virtus rependitur, ſua item labes;* uti pulchrè ac ſapienter loqvitur Gramondus, Gallorum Polybius. Atqve hinc illud Theodoſii M. Imp. ad filium Honorium apud Claudianum præter cætera monitum:

*Intereà Muſis, animus dum mollior, inſta,*
*Et qvæ mox imitére legas, ne deſinat unqvam*
*Tecum Graja loqvi, tecum Romana vetuſtas,*
*Antiqvos evolve duces;*

Et Baſilii, Græcorum Imp. ad filium: *Ne unqvam ceſſes evolvere Hiſtorias veterū. Illi enim*

*enim reperies ſine labore, qvæ magno alii congeſſére, atqve inde bonorum virtutes, improborum vitia cognoſces, & vitæ humanæ varias mutationes, rerumq́; in ea converſiones, mundi hujus inſtabilitatem, Imperii ad ruinam pronitatem; Summa: malefactorum pœnas, benè actorum leges præmia, qvorum illa fugias, ne ſeqventis ultionis ſeveritatem ſubeas, hæc amplecteris, ut præmia, indidem venientia, potiaris;* Sed memores monere ego qvid præſumo? præſertim cùm non deſint vobis, CLEMENTISSIMI DOMINI, monitores, ſeu, ut Græci vocant, μνήμονες, eandem VOBIS facem præferentes, qvam Julo, Æneæ filio, Epitydes, Achilli Chiron, Neroni, cùm probus erat, Seneca, & Ptolemæo Demetrius Phaleræus. Id igitur potiùs, qvantâ maximâ poſſum, animi ſubjectione Vos rogo, PRINCIPES SERENISSIMI, ut Poëtam deinceps me veſtrum eſſe, ſi qvidem mereor, patiamini, atqve huic opuſculo meo vel ob Heroum Saxonicorum res geſtas locum inter Hiſtoricos aliqvem non concedatis tantùm, ſed & contrà aculeatos Oſorum ac roſorum ictûs qvàm potentiſſimè defendatis. Neqve enim ſuperi-

periori duntaxat, ſed hoc qvoqve fuére ſuntqve adhuc ſeculo, qvi cùm barbaris Scholaſticorũ terminis oblectẽt ſe unicè, Poëtas Poëtarumq; interpretes, & qvoscunqve elegantioris literaturæ amaſios ſuperciliosè præ ſe contemnunt, imò dicteriis lancinant, lacerant, cumq; illatiniſſimis Monachis, in epiſtolis obſcurorũ virorum graphicè depictis, Ribaldos vocare non dubitant. Poſſem eqvidem verba mutuari à Clariſſ. Hachenbergio, Profeſſore Heidelbergenſi, ex præfatione Philothei h. e. Sereniſſimi Electoris Patatini CAROLI, Symbolis Chriſtianis præmiſſâ: Is enim cum *doctiores melioresq; haberi velle* dixiſſet, *qvi lingvæ latinæ paulò exactiori cognitione careant, non moramur*, generosè pergit, *ambitioſam eorum ſtultitiam, qvùm & eam ſeculi noſtri eſſe conſvetudinem ſciamus, ut ii plurimùm de Latina lingva judicent, qvi malè, ne dicã peſſimè Latinè loqvuntur; & facilè illis eam indulgeamus gloriam, ut cum Mileſiarum auctore rudant, aut cum alio duriore ſaxa & lapides loqvantur, aut elumbi aut discincto ſermone balbutiãt, qvàm ut puram atq; majeſtatis ſuæ pondere ſuffultam Orationem ad veterum Scriptorum elegan-*

*gantiam exigant.* Sed ad VOS potiùs, DII TUTELARES OPT. MAX. confugio. Nam ut latiniſſimos Poëtas atq; Oratores, Philologos item atq; Hiſtoricos & amatis ipſi & lectitatis, ita Fellerum qvoqve veſtrum, hominem in his literis ſi non optimè, at non peſſimè tamen verſatum, clementiâ veſtrâ haut dedignabimini, qvin ei qvoq; in creperis fortè fluctibus conſtituto tanqvam *Fratres Helenæ, lucida ſidera*, affulgebitis. Decætero moniti illius Lutherani de Principibus ſuprà laudatis memor: *Qvapropter commendatos habeat ſibi Eccleſia, & qvisqvis eſt, qvi CHRISTI eſſe voluerit, hos optimos Principes, & eorum ſtudia ac gubernationes fideli & ſeriâ apud DEUM oratione juvet contra Diabolum, hoſtem illorum præcipuum. Dona enim ſunt hæc & (ut ſcriptura loqvitur) benedictiones DEI opulentiſſimæ*; & ego ejusdem Lutheri verbis, VOBIS, OPTIMI CLARISSIMIQVE PRINCIPES, *omnia benè precor, & oro DEUM Patrem, largitorem iſtorum & omnium bonorum, ut cœptis iſtis felicibus ſtudiis & inſtitutis feliciorem ſucceſſum, feliciſſimumq́; fructum, benedictione abundantis gratiæ ſuæ donare dignetur.* Dabam Lipſiæ è Bibliotheca publica d. X. Auguſti Anno noviſſimi temporis M.DC.LXXXI.

SERENITATUM VESTRARUM
*humillimus Servus*

L. JOACHIMUS FELLERUS,
Poëſ. PP. & Academiæ Bibliothecarius.

AD

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0018-0

QVanqvam vel tacente me ſubodorari qvis poſſit, cur hanc Eclogam Lotichianam præ aliis poëtarum carminibus expoſuerim publicè, jamq́ȝ typographo exſcribendam dederim, non poſſum tamen & hujus & reliqvarum prælectionū mearum rationem hâc ipſâ occaſione reddere. Scilicet ex qvo poëtico admotus ſum muneri, nihil prius antiqviusq́ȝ, pro eo ac par eſt, habui, qvàm ut ſi non exqviſitum planè, at non erubeſcendū hujus Academiæ & Poëtā & Poëtarum interpretem agerem, & eminùs ſaltem, ſi cominùs haut liceret, veſtigia beatiſſimi Soceri & Anteceſſoris, D. Rappolti, legerem. Explanaverat autem ille ſub extrema profeſſionis poëticæ Odas Horatii Lyricas, easq́ȝ ad veterum Philoſophorum placita (nam Eclecticus erat Flaccus) exegerat. Qvæ cùm perducere ad colophonem non poſſet, conabar ego, ſucceſſor ei datus, ſupplementum illud, qvod publicè cum Commentario in Horatium Rappoltiano proſtat, pro virili mea addere. Labore hoc functus jam carmen illud Eumolpicum, qvod velut exemplar epici carminis à Petronio repræſentatur, jam Martialis librum de Spectaculis, jam Claudiani panegyricum in III. Honorii Conſulatum, mox Statii Epicedion in Fratrem, qvod tertium eſt lib. V. Sylvarum, dictatis diſcurſibusq́ȝ publicis illuſtrabā. Sed principem Poëtarum, Virgilium relinqvere intactum mihi religio erat. Igitur & hunc pertractandū ſuſcepi, ſed ita, ut Philoſophicos tantùm flores (nam reliqva ab aliis jam præcerpta erant) decerperem. Qvandoqvidem verò è recentioribus qvoq́ȝ ſunt Vatibus, qvi aut nullo aut exiguo à veteribꝰ diſtant intervallo, volui ex his qvoq́ȝ politiora ac doctiora ſeligere carmina, iisq́ȝ lucis aliqvid in acroaſibus publicis affundere. Elucidavi qvippe præter Hymnū Heroicū in Chriſtum

& Elegiam de Judæ ſuſpendio, Caſparis Barlæi Cyniſmum *ſeu carmen* de Cratetis & Hipparchiæ nuptiis, *in qvo tota Philoſophia Stoica continetur*; Georgii Sabini Cæſares Germanicos, Matthiæ Caſim. Sarbievii, Jeſuitæ, librum I. Lyricorum, Danielis Heinſii lib. IV. de contemtu Mortis, & Rappolti Biduum Johanneum, *qvod hiſtoriam Auguſtanæ Confeſſionis exhibet, nec non nuperrimè carmen illud, qvo JOH. GEORG. II. Saxoniæ Electorem A. 1657. tanqvam* Solem Orientem *exceperat. Sed nec* Pet. Lotichium, *qvem optimum ſui ſeculi Poëtam* Joachimus *Camerarius vocat, teſtis omni exceptione major, præterire planè potui. Præter cætera autem ejus carmina non citra rationem mihi placuit* Ecloga *illa in* nuptias illuſtriſſimas *ſcripta, qvâ & Sponſi & Sponſæ majores repetere à primâ origine voluit. Nimirum non alia ſelegi hactenus ſeligamq́; ulteriùs Carmina, qvàm vel Theologici, vel Philoſophici, vel Hiſtorici aliqvid præ ſe ferentia, hoc ipſo planum nemini non facturus, non verſuũ ſaltem ſcanſionem & expoſitionem Grammaticã, ut malevoli qvidã calumniantur, ad poeticam profeſſionem reqviri, ſed diffuſam variorum autorum lectionem, nec humanionem tantùm literarum, ſed & diſciplinarum omniũ cognitionem. Cæterùm ex illis, qvæ publicè expoſui, poëmatis*, Lotichianam Eclogam *ob cauſas in dedicatione allegatas cum* Notis philologico-hiſtoricis *nunc Tibi ſiſto, L.B. Age hoc, qvicqvid opuſculi eſt, boni conſule, &* Flores Philoſophicos *tùm ex* Bucolicis Virgilii & Georgicis, *tùm* ex Æneide *maximè, qvæ* Ideam perfecti Principis *repræſentat, decerptos, in publico qvippe mox apparituros, Tibi pollicere. Eccam intereà tibi illam, qvam dixi*, P. Lotichii Eclogam!

IN

IN

*NUPTIAS ILLUSTRISSIMAS*

# JOHANNIS WILHELMI,

## Ducis Saxoniæ &c.

*&*

# DOROTHEÆ SUSANNÆ,

## Comitis Palatinæ.

››
››
››
››

*Vos mihi, qvæ regum canitis connubia, Muſæ,*
*Longa qvibus ſeries ævi, qvibus alta vetuſtas,*
*Fidaq; perpetuæ cuſtodia credita famæ,*
*Dum ducis egregii, poſt bella graveſq; labores*
*Felices celebro thalamos, vos numine veſtro*
*Aſpirate mihi: tuq; ô Jovis inclita proles*
*Alma Venus, ſi te vatum mortalia tangunt*
*Carmina, ſi ſocii leges & fœdera lecti,*
*Et teneros luſus, & mutua gaudia curas:*
*Huc ades, & cultos mecũ ſpaciare per hortos,*
*Et vernas lege diva roſas, ſponſæq; coronam*

Texe novæ, qvalis fulgenti lucida cœlo
Aſtriferi nitidos inter micat ætheris ignes.
Tu verò juvenum princeps, qvi fortibus armis
Et celebres factis proavos ingentibus æqvas,
Johannes Guilielme, tuas ne deſpice laudes.
Arma viroſq́; leges, & avorum clara tuorum
Nomina: Jam rerum per ſumma cacumina tantùm
Ire juvat, ventura dies majora reſervat.
Vix matutino radios pulcerrimus ortu
Lucifer extulerat fauſto connubia portans
Sidere, lætitiâ montes & celſa fremebant
Atria, qvà vaſtas ad cœlum ſurgere moles
Aſpicit, & rapidis torrens Nicer æſtuat undis,
Fortè ſub exorti tùm primùm lumina Solis,
Herboſæ viridi reſidens in margine ripæ.
Agreſti ſtipulâ veteres meditabar amores
Acidis, & ſtudio curas ſolabar inani:
Blandaq́; vicina mecum Philomela ſub umbra
Argutis liqvidas mulcebat cantibus auras;
Cùm ſubitò (ecce) novem comitata ſororibus ultrò
Obvia Calliope ſeſe mihi læta ferebat.
Omnibus ex humeris citharæ, decor omnibus idem,
Perfuſis auro velatæ veſtibus omnes.

Rutæ

*Ruta virens crines cingebat, & innuba laurꝰ.*
*Ibant & manibus Divæ per mutua junctis,*
*Hymen ô Hymenæe Hymen , Hymenæe canebant.*
*Mox ubi ſe viridi juxtà chorus omnis in herba*
*Compoſuit, ſiluitq́; amnis, ſiluere volucres,*
*Ad me Calliope placidis ita vocibus uſa eſt:*
*Pone leves calamos , ſat avenæ ſibila montes*
*Et fontes novére ſacri, ſat ruſtica luſit*
*Fiſtula paſtorum curas: nunc inclita dices*
*Connubia, Heroumq́; genus, regumq́; nepotes.*
*Ipſa ego te, ſponſi repetens ab origine ſtirpem,*
*Per genus , & proavos , & facta ingentia ducam*
*Antiqvæ ſobolis, qvam nulla æqvaverit ætas*
*Laudibus, immenſum qvà Sol videt aureus orbem.*
*Hic labor, hoc ſtudium generoſis vatibus eſto,*
*Aut ſuperûm laudes canere , aut præconia regum,*
*Et memorem factis illuſtribus addere famã.*
*Dixit , & ornatum gemmis , auroq́; volumen,*
*Cyaneoq́; nitens Hyacintho, & Jaſpide glaucâ,*
*Explicuit gremio, matris venerabile donum*

*Mnemoſynes, cui longa dies & nomina curæ.*
*Illic alma parens ſignârat, qvicqvid ab ævi*
*Principiis geſtū memorabile, pace vel armis,*
*Qvod natos olim jubeant meminiſſe parentes.*
*Hoc promens, repetensq́; altæ monumenta ſenectæ*
*Calliope, fagi ſuper impendentis in umbra,*
*Talia labentes Nicri cantabat ad undas:*
*Vaſta jacet, Boreæ flabris obnoxia tellus,*
*Dives agri, dives pecoris, qvā ſpectat ab alto,*
*Tingere qvæ nunqvam cani ſe fluctibus audet*
*Oceani, ſtellis ſemper ſitientibus Arctos,*
*Rhenus ad occaſum, proniq́; cubilia Solis*
*Terminat, aurorā Nabathæaq; regna Viſurgis*
*Aſpicit, hybernos Chauci, genus acre, Triones,*
*At latus, unde madens imbres denunciat Auſter,*
*Obnobii claudunt montes, qvibus arduus exit*
*Oceani refluas Ameſis qvi turbat arenas.*
*Illa parens regum tellus, qvibus aſpera cordi*
*Prælia ſemper erant, ſtatuas lucosq́; colebant*
*Relligione ſacros priſcâ: ſæpe horridꝰ angvis,*
*Conſcia ſæpe vetus terrebat pectora qvercus.*
*Præcipuè Heroas, pugnataq; bella canebant*
*Solennes epulas inter, magnâq́; ſepultos*
*Voce ſalutabant reges animasq; vocabant.*

*Pri-*

*Primus avis, proaviſq; potens, & divite regno*
Sigardi *pronepos , cum jam gens aurea paſſim*
*Chriſtiadum, ſcelus elueret luſtralibus undis,*
*Flore virens animi primùm* Vitikindus *& ævi,*
*Defendit veteres ritûs moremq; ſacrorum,*
*Per caput & ſanctam ſolitus jurare coronam,*
*Sideraq; & patriâ cultos formidine lucos,*
*Manſuras, Divis qvas ipſe ſacraverat, aras.*
*In clypeo ſonipes excuſſis liber habenis*
*Emicat, & volucres hinnitu disjicit auras*
*Arduus alta petens: juxtaq; inſigne paternũ,*
*Lucida dimidiæ ſinuantur cornua Lunæ.*
*Poſtremò caſtris toties exutus & armis*
*Jam ſenior, vitâ donatus abivit, & ultrò*
*Abluit antiqvæ tandem contagia culpæ,*
*Nudatum patrio tingens in gurgite corpus.*
*Ipſe ſalutiferi perfuſum fluminis undâ,*
*Cæſar ovans, dudum vindictæ oblitus & iræ*
*Carolus excepit, gremioq; amplexꝰ amico eſt,*
*Et vanos Divûm juſſit dediſcere cultûs.*
*Lætitiâ fremuere urbes ſeptemq; Triones.*
*Usq; adeò pulcrũ eſt, & nobile, parcere victis,*
*Pulcrius, indomitas qvã bello ſubdere gentes.*
*Inde potens latè, qvà Lupia, qvà pater errat*

*Albis Aqvis, Albis ducibus , bello inclitus Albis,*
*Qvaq́; rapax tumido campos ſecat amne Viſurgis,*
*Jura dedit, donec defectis viribus æger,*
*Immemor annorum ſeniiq́; oblitus, in hoſtem*
*Dum ruit, humanos finivit morte labores.*
*Filius hinc patrii generoſus nominis hæres*
*Accepit veteres Myſos terrasq́; regendas,*
*Qvas fluvio Pliſſina ſuo, qvas utilis agris*
*Irrigat, & ripis formoſus Eliſter amœnis,*
*Saxoſumq; ſonans ſpumanti gurgite Sala.*
*Inde vetus Sponſo genus, & natalis origo,*
*Heroumq́; domus ſe ſangvine ſcindit ab uno,*
*Heroum, qvi præſtantes virtute, ſub Arcto*
*Juſtitiâ rigidis gentes, & legibus æqvis*
*Formârunt primi, vitæ melioris ad uſum.*
*Hinc qvoq́; (ſi fratrum ſpectes à ſangvine ſtirpem)*
*Magnus Otho, date thura duces, date manibus aram.*
*Hic vir , hic eſt, cui veſter honos, cui gloria veſtra,*
*Imperiiq́; decus fuit, & Germania curæ.*
*Proximus innocua populos in pace regebat,*
*Maxima cui Divûm cultus abolere profanos*

Cu-

Cura fuit, cenſusq́; ideò TIAGRINUS & ædes
Conſtituit, magniq́; adjecit ponderis aurum
Illis, qvi genus indocile ad meliora vocantes
Sacra propagarent, lumenve errantibus eſſent.
Filius huic, primis nemorum ſtudioſus ab annis,
Cornigeros TETMARUS agens in retia cervos,
Impiger ex humeris pharetram ſuſpendit & arcum,
Solertiq́; altos cingens indagine montes
Militat in ſylvis, rigidisq́; iraſcitur urſis,
Et foribus rictus præfigit, & horrida terga.
Scilicet ut meliùs (ſi qvando bella vocarent)
Imbribus Hercynioqve gelu duratus & æſtu,
Militiæ poſſet duros perferre labores.
Suſcipit hinc natus rerum THEODRICUS habenas,
Marte potens, glebâ qvi pingves ubere campos
Finibus adjecit patriæ, qvà flumine pulcro
Advena fœcundos Unſter perlabitur agros:
Unde etiam ſeri titulum geſſêre minores.
Nec DEDO minùs enſe bonus: minùs utilis haſtâ

*Nec belli tenuit qvisqvam Dux aptiùs artes:*
*Sive opus extenſos metiri caſtra per agros,*
*Seu faciem pugnæ componere, ſive profundas*
*Subſidio foſſas poſitis deducere caſtris,*
*Defenſura cavas & propugnacula foſſas.*
*Hunc conſangvineo pro Cæſare bella gerentem*
*Mirati ſtupuêre Hunni, ſtupuêre nivoſum*
*Potantes Tanain gelidiq; Boryſthenis undas:*
*Omnia cùm ferro tumidi prope flumina Salæ*
*Sterneret, ac caperent vix mœſta cadavera ripæ.*
*Nec minus in clarum famæ proceſſit honorem,*
*Nomen avi referens* Natus, *qvi patre ſub ipſo*
*Prima rudimenta, & primos exegerat annos:*
*Virtutem primo patris miratus ab ævo.*
*Appenninigenam fractis hic cornibus Arnum*
*Contudit, exultans campo bellator aperto:*
*Sicut ubi torrens, nymbis hyemalibus auctus,*
*Spumeus, & fervens, inſano vortice ſylvas*
*Proruit, & meſſes latè populatur, & agros.*
*Nec te magne* Thimo *tacitum, natumq; relinqvam*
Conradum, *inſignem famâ & præſtantibus armis,*
*Marchio qvi primus tecum Miſneidos oræ*

*Vi-*

*Victor in Eridani campo, atq; Inſubribꝰ arvis*
*Auſonium multo complevit ſangvine Tybrim.*
*Hinc* Otho *civili præcinctꝰ tēpora qvercu,*
*Ditibus argenti venis ærisq; ſcatentem*
*Fribergā, & Philyres excelſam condidit urbē.*
*Inter Hamadryadas Philyre formoſa ſorores*
*Venatrix, timidis illis in montibus olim*
*Inſidiis curſuq; feras agitare ſolebat,*
*Et gravidam jaculis pharetram, tremulumque gerebat*
*Miſſile, qvod liqvidas ad Eliſtri creverat undas.*
*Sed cùm virginei ſpolium & decus omne pudoris,*
*Dum jacet, & dulcem carpit ſecura qvietem,*
*Impius in ſola paſtor convalle tuliſſet:*
*Non ultra potuit tantum perferre dolorem,*
*Tabentesq; artus anima indignata reliqvit.*
*Alma ſed inſontis caſum miſerata puellæ*
*Excepit gremio tellus, tiliamq; virentem*
*Oſſibus ex Philyres, liqvidas emiſit in auras.*
*Nunc qvoq; per ripas, illic per mollia creſcunt*
*Prata, per excultos tiliæ ſub mœnibus hortos,*
*Sæpiùs & gratas præbent venantibus umbras,*
*Unde urbi indigenæ nomen fecêre priores.*
*Inclitus hinc atavi* Theodricus *nomen adeptus*
*Infelix medici bibit atrum fraude venenum,*

*Natus adhuc primo cùm vix pubeſceret ævo.*
Henricus *qvi pòſt factis clariſſimus, omnes*
*Egregiâ proavos poſt ſe virtute reliqvit,*
*Illi, cùm ſuperas liqviſſet avunculus auras,*
*Conditus extremâ Ludovicus Japygis orâ,*
*Pro meritis Cæſar Fridericus tradidit acres*
*Tyrigetum populos, titulisq́; illuſtribus auxit.*
*Belliger hic clarum certamen eqveſtribus armis*
*Edidit, effigiem belli: clangore tubarum*
*Antra reſultabant latè, montesq́; fremebant,*
*Vincentum plauſu pariter, ſonituq́; cadentum.*
*Campus erat, virides claudebant undiq́; ſylvæ,*
*Aureaq́; in medio diffuſis frondibus arbor*
*Stabat, erant aurum rami, folia aurea ramis,*
*Aureus & cortex, at ſola argentea radix.*
*Hanc circum nitidi, preciũ victoribus, enſes,*
*Et galeæ inſignes criſtis viridesq́; coronæ.*
*Nec minùs Heroum, per gramina mollia, natæ*
*Candida virgineo qvatientes corpora motu*
*Ducebant choreas, qvas inter filia magni*
*Cæſaris, in thalamos* Alberti *ducitur uxor*
*Margaris, inde ſati* Fridericus, *& acer in armis*

*So-*

*Solennes ferro cæſus* Tizmannus *ad aras.*
*Sed profugæ luctus genitricis, & horrida bella,*
*Dum genitor natos juſtas irritat ad iras,*
*(Ah nimiùm teneri ſtimulis agitatus amoris)*
*Mens reticere mihi: Sprea ſangvine fluxit, & ingens*
*Albis, & Herciniis qvæcunq; è montibus orta,*
*Tyrigetum pingves humectant flumina campos.*
*Numinis ejusdem, ne dira licentia ferri*
*Impunita foret latronum,* Filius *arces*
*Diruit, hinc* Natus *ſublato patre, rebellem*
*Ultus avum, multis implevit cædibus urbem,*
*Corniger undoſo qvà flumine ſtagnat Hieras,*
*Captaq; ferratis affixit poſtibus arma.*
*Qvartus in adverſos ultricia ſigna Bohemos,*
*Pro decore imperii, generoſi Cæſaris ultor*
*Movit, & inſigni* Fridericus, *laude potitus,*
*Saxonici clarum tulit Electoris honorem.*
*Ille etiam curans tranqvillæ commoda pacis,*
*Hoſpitium nobis ad Eliſtri condidit amnem,*
*Egregiasq; animos pretiis accendit ad artes.*
*Proximus Arctoi ſpoliis Aqvilonis onuſtus*
*Impoſuit leges domito* Fridericus *Havelo.*

*Tu*

*Tu qvoq; conjugio felix, & prole nepotum*
*Caſſubios,* Erneſte, *ſagittiferosq; Polonos,*
*Odera piſcoſo qvà labitur amne, coërces.*

Filius *armorum patriam formidine ſolvit,*
*Felicesq; petens Solymos, & nobile buſtum,*
*Vicit iter durum pelagi, & Curetida terram,*
*Gordynam, Gnoſonqve, & in æqvore Cycladas alto,*
*Phœbeamqve Rhodon vidit, gentesq; beatas*
*Phœnicum, Syriæq; hortos, qvà Tygris, & ingens*
*Labitur Euphrates, cœlo gratiſſimus amnis.*
*Ille etiam dubiis magno pro Cæſare rebus,*
*Threicium Auſtriacis avertit mœnibus hoſtem,*
*Regnatorem Aſiæ, Thracasq; Getasq; trahentem,*
*Et magnas Orientis opes, cùm Norica ſaxa*
*Et tremerent latè Nymphæ Iſtrides, Iſtrides undæ.*
*Illum Aponus vidit, celſæq; Antenoris arces,*
*In ferrum ruere, & Patavi proſternere muros.*

*Enſifer hinc, nec fratre minor pietate, nec armis*
Johannes *motus compeſcuit acer agreſtes:*
*Qvaliter Arctois Boreas emiſſus ab antris,*

*Atra*

*Atra ſerenato depellit nubila celo:*
*Strenuus hinc per ſaxa ruens, per tela, per ignes,*
*Inſiliit primis Regalis mœnibus Albæ,*
*Inq́; expugnato clarus ſtetit aggere victor,*
*Sublimes tollens aqvilas: auſisq́; potitus*
*Muralem qvernam meruit de fronde coronam.*
*His ducibus cœlo caput extulit aurea, qvæ nunc*
*Relligio totum ſincera perambulat orbem,*
*Qvam probitas, & ſancta fides comitantur euntem,*
*Et concors pietas jus omnibus una miniſtrat.*
*At nomen qvâ voce tuum, qvove inclita facta*
*Carmine,* Johannes Friderice *binominis, æqvem?*
*Qvæ tibi non laudes, qvi non debentur honores?*
*Pectore magnanimo ſimilem tibi nulla tulerunt*
*Secula, nulla ferent; dulcem profundere vitam,*
*Et fortem, cara pro relligione, cruorem*
*Promtus eras, mortēq́; Dei pro laude paciſci:*
*Commotꝰ nunqvam præſentis imagine lethi.*
*Scilicet accenſum divino pectus amore,*

*Non*

Non vis ulla domat ferri, non fulminis ignes.
Qvaliter ipſe pater vitæ, Sol lucis origo,
Sol oculus mundi, cæca ſub nube laborat
Interdum, victis mox nubibus aureus exit.
Macte animo Germano, & macte ingentibus auſis,
Sic etiam dilecte Deo, qvod mille probatum
Tentatumq́; modis; reducem fidiſſima conjunx
Vidit, & in cara Domini cervice pependit
Ante obitus: dulcem nati vidére parentem,
Et nunc in patria cineres tellure qvieſcunt.
At veteres inter proavos, cœtusq́; piorum,
Spiritus exultat liber, fruiturq́; perenni
Lætitiâ, æternisq́; bonis diſcrimina penſat.
Salve magne pater patriæ, tua gloria vivet,
Donec in occaſum roſeo volventur ab ortu
Sidera, donec erunt latices Aganippidos undæ.
Inde ſatus, fauſto conjungit fœdere tædas
Sponſus, & illuſtres thalamos jam nubilis intrat
Dorotheæ, primosq́; parat conjungere ſomnos:
Amborumq́; Dei votis concordibus aſſunt.
Jamq́; tubæ cantusq́; ſonant, domus ampla reſultat,
Lætitiâq́; fremunt rupes. Surgamus, & altã,

Aoni-

Aonides, Soceri ſcandamus principis arcem!
Ut cùm rorifero noctem produxerit ortu
Heſperus, ad ſponſæ thalamos Hymenæa canamus,
Felicis bona ſigna thori, & nubentibus omen.
Dixerat, & variis lento de vimine textos
Floribus implebant calathos, ætatibus omnes,
Et facie, cultuq́; pares, urbemq; petebant.
Tu mihi nunc, qvi culta rigas ſpumantibus undis
Arva Nicer (nam te veterum nec facta parentum,
Nobile nec patriæ decus ignorare putandũ eſt)
Qvandoqvidem hos prima colles ab origine mundi
Alluis, ipſe genus ſponſæ, patrumq́; recenſe
Facta, ducesq́; atavos, prohibeq; ſilentia famæ.
Nam potes & gratum eſt canere, & meminiſſe voluptas.
Sic Remiſus, Jaxusq; tuum ſic Coccius amnem
Augeat, & ſalices creſcant tibi ſemper & alni,
Qvà virides inter Rheno cõfunderis umbras.
Sic ego: cùm lato madidum caput extulit antro
Cœruleus Nicer, & molli viridantia muſco
Tempora cõcutiens: His orti montibꝰ (inqvit)

(Di-

(Dicam eqvidem, nec te longo ſermone morabor)
Magnanimi Heroës qvondam melioribus annis,
Fundârunt urbes populis, gentemq́; comatam
Juſtitiam docuêre ſeqvi, nec temnere Divos.
Splendida ſed tenebris involvit geſta vetuſtas,
Qvandoqvidem, qvamvis populis opibusq́; potentes,
Sacrorum dulci caruerunt munere Vatum,
Munere, qvod fragilis perfunctos munere vitæ
Diis æqvat ſuperis, & læto nectare paſcit.
At ſponſæ (ſi prima domus qværatur origo)
Inclita Francorum ſeries à ſangvine manat,
Et genus & generis priſci numeroſa propago.
Sed neq́; tum colles iſtos, non iſta colebant
Rura atavi: ſed qvà fluvio premit arva ſonanti
Danubius, qvaq́; Herciniis è montibus orti
Danubiũ ſupra Nabus, & Regus influit infra,
Qvaq́; vides ſolem labens Pegneſſe cadentem.
Maximus hinc ortus, ſævos Lutholdus in Ugros
Et peditũ cuneos, & turmas duxit eqveſtres,
Claraq́; tranſcendens majorum facta ſuorum,

Infe-

Infeſtum domitis compeſcuit hoſtibus Iſtrum,
Pannonioq́; Anaſi complevit ſangvine flumen,
Aureus in Clypeo veterum geſtamen avorum,
Ardebat, vaſtosq́; leo pandebat hiatus.
Nec minor Arnolphus bello, nec Natus eodem
Nomine, Diis animæ ſimiles: vidi horrida vidi
Prælia, cùm pulcram peterent per vulnera mortem.
Tranqvillos in pace obitus, ignobile fatum
Credebat, patriisq́; Hunnos ducebat ob oris,
Spe regni profugus flagrans Wernerus aviti.
Primus in adverſos ibat pugnamq́; ciebat,
Qvoq́; loco meliùs ducendus & ordine miles
Noverat, & magnis aderat vis inſita verbis.
Qvas Lycus in ripa pugnas, qvæ funera denſis
Stragibus arctatus vidit? qvà dividit acres
Vindelicos, Rhetosq́;, qvot intumulata virorũ
Corpora Danubii ſpumantibus intulit undis?
Qvaliter in trunco flammas ſi fortè relinqvit
Ille domum ſerò rediens jam veſpere paſtor,
Tempeſtas ſi nocte, Euris ſurgentibus, orta eſt:
Omnia pervolitant ignes, it turbine vaſto

*Flammarum torrens ſylvas effuſus in altas.*
*Ordine tres illis vos ſucceſſiſtis* Othones,
*Præſtantes animis, factisq; illuſtribus omnes.*
*Qvos inter ſævis excellens tertius armis,*
*Per varios Pelagi tractus, per inhoſpita longè*
*Littora, littoribus multùm diſtantia noſtris*
*Sideribus, remisq; aurisq; ferentibus uſus,*
*Europa è magna multis comitantibus Heros,*
*Antiqvos petiit Solymos, cedroq; virentes*
*Palmiferi colles Lybani: tunc inclita rurſus*
*Acta ſub Imperium Solyme: tunc Aſcalo, & ipſa,*
*Qvæ toties vatum celebratur carmine, Bethle,*
*Gazaq; & æqvoreis Jope qvæ tunditur undis,*
*Hadriacis Jope ſtatio gratiſſima nautis.*
*Felices animæ, qvibus illo tempore naſci*
*Contigit, & magnum pariter dare vela per æqvor,*
*Et fortunatum ſpoliis decorare ſepulcrum.*
*Crediderim colles ipſos, montemq; Sionis*
*Ardua gratantes jactaſſe ad ſidera voces,*
*Cùm jam victor ovans, poſitis exercitus armis,*
*Procumbens ſanctæ pronus daret oſcula terræ:*

*Ful-*

*Fulgeretq; crucis paſſim venerabile ſignum.*
*Poſt* Otho *pacis amans, & maximus alter ab illo*
*Filius, inſignis bellator, Japyge fertur*
*Per Latium, ſublimis eqvo, qvà turbidus auro*
*Abdua, qvà lento fœcundos agmine campos*
*Ollius, Heſperidumq; ſecat regnator aqvarum*
*Eridanus, tenerâ qvà cinctus arundine crinem*
*Mincius, & rapidis Atheſis devolvitur undis,*
*Amnis, & à Gallis Italum qvi ſeparat orbem.*
*Primus in hos, ſexti genitor* Ludovicus *Othonis,*
*Migravit colles* Septemuir, *& ampla reliqvit*
*Et Nato, & ſeris regnanda Nepotibus arua.*
*Inſignes ambo virtutibus, artibus ambo*
*Pacis & armorum ſtudiis. Pater indole gaudet*
*Egregiæ ſobolis, nec diſplicet æmula virtus.*
*Tunc ducibus primum claris habitabile ſaxum*
*Hoc fuit, extremæ qvod deſuper imminet urbi.*
*Hic ortus* Ludovice *tuos, cui maxima rerum*

Verborumq́; fides, hîc incunabula vidi
Rudolphi, primos hîc egit Filius annos,
Sæpè fatigatis ſudorem flumine puro
Abſterſi foviq́; undis, & lenibus auris:
Seu ſpolia ampla domum bellando parta referrent,
Seu memorum exuviis læti prædâq́; ferarum,
Venatu ſerâ feſſi jam nocte redirent,
Munera per ripas ſemper ſuſpenſa videbam,
Setigerum caput aut apri, vel cornua cervi.
Hinc pius Aoniis dux condidit atria Muſis,
Perculſus dulci Rupertus laudis amore.
O decus, ô nullos unqvam reticende per annos,
Fortunate ſenex! Tibi ſe debere fatetur
Poſteritas, patriam tu doctis artibus ornas,
Ingenuosqve jubes regnare per oppida mores.
Ante vagis tantùm notus paſtoribus ibam
Per nemora, & valles, piger atqve ignobilis amnis.
Nunc Rhenus mihi, nunc Viadrus, nunc Iſter & Albis
Aſſurgunt, cinctæqve hederæ mea flumina circum
Aonides choreas agitant, & carmina dicunt:
In-

*Inflat & argutas non Tityrus unus avenas.*
*Fortunate ſenex cœlo tua numina tollit*
*Gloria, qvæ latis mundum circumvolat alis.*
*At niſi munificus Muſis ea dona dediſſes,*
*Heu qvibus in tenebris, qvanta ſub nocte jaceres*
*Flebilis & penitùs caligine conſitus atrâ?*
*Illi etiam Nemetum in campis, bis munere Divûm*
*Uno parta die magno victoria plauſu,*
*Bis victi cecidére hoſtes, ac terga dedére.*
*Imperii poſt hæc nato conceſſa poteſtas,*
*Qvi templis urbem, donisq́ꝫ ingentibꝰ auxit,*
*Muſarumq́ꝫ fovens hortos, & amœna vireta,*
*Dulcia* Rupertus *patriis dedit otia terris,*
*Et Latio tandem Tuſcoq́ꝫ reverſus ab Arno,*
*Longævus curis mortalibus exuit annos.*
*At proavos ſuperans, ſceptris adjunxit avitis*
*Dotales* Stephanus *populos, gentesq́ꝫ feroces,*
*Qvi Lutram, Saramqꝫ bibunt, qvorumqꝫ per agros*
*Spumeꝰ undoſo declives gurgite curſûs*
*Extendit Rhenus, Vogeſiq́ꝫ è rupibus ortus*
*Jam dominum prono Rhenum petit amne Moſella.*
*Hinc patri* Friderice *ſubis, natumq́ꝫ relinqvis*
Johannem, *cujus de ſangvine dictus eodem*

 No-

*Nomine tranqvillas ad pacis idoneus artes*
Filius, *implevit magnum virtutibus orbem,*
*Juſtitiæ cultor, jurisq́; miniſter & æqvi.*
*Ipſa ſuas illi natura recluſerat omnes*
*Dives opes, cœlumq́; animo ſublimis adibat,*
*Stellarumq́; obitus, ſtellarum noverat ortus.*
*Atqve ſalutiferas propriis cum viribus herbas,*
*Qvid ſterile Aſplenum, qvid læta Syſimbria poſſint,*
*Et menthæ virides, & odoriferæ Calaminthæ,*
*Bugloſſusq́; Thymusqve, Lupiq́; volubile gramen.*
*Jamq́; decem numerans actæ ſexennia vitæ,*
*Bis tribus adjectis, robuſtus, & integer annis,*
*Cœleſtes petiit ſedes, qvas luce perenni*
*Æternis opifex rerum fulgoribus implet.*
*Is denſis obſcura ducum monumenta tenebris*
*Eruit, & totam ſtirpem, laudesq́; parentum*
*Ire per ætates juſſit, perq́; ora nepotum.*
*Nunc virides Rheni tractûs ſortitus, honores*
*Et titulos atavi (ſic arbiter omnia juſtus*
*Tempora diſpenſat DEUS, atq́; in priſtina reddit*
*Sæpe ducum ſobolem) magna cum laude gubernat*

*In-*

*Inclitus, & populo* Fridericus *amabilis omni.*
*Cujus, adhuc annis vix pubeſcentibus, Iſter*
*Signa ſagittiferæ contra Mahometica Lunæ*
*Egregiæ ſpeciem virtutis, & indolis altæ*
*Per turmas aqvilam, validæ ſtupuêre cohortes.*
*Macte rudimentis princeps, Dii noſtra tuentes*
*Præſidia, ad veterum te ſervavére parentum*
*Imperia, & placida terras in pace regendas,*
*Annorumq; moras fortuna beatior implet.*
*Qvi vigor ingenii? qvantus ſub pectore fervet*
*Doctrinæ cœleſtis amor? qvàm vita ſuorum*
*Cura ducis? doctis qvæ confert præmia Muſis?*
*At toruos ſi qvando ruit venator in apros,*
*Et belli ſimulacra ciet, ſylvasq; fatigat,*
*Arduus alipedem curru Phaëthontis inuſtū,*
*Herbifer eduxit, qvem Mincius Andide ſylvâ*
*Concitat, ille volans argutas erigit aures*
*Sublatâ cervice, ſimul pernicior Euro*
*Crura per apricos glomerat ſinuantia campos.*
*At natos, clari ſectantes facta parentis*
*Splendida manificæ ſtimulat virtutis imago,*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0043-8

*Speq́ꝫ novâ tanti lætatur ſangvinis orbis.*
*Hoc genus & ſponſæ vetus eſt nubentis origo.*
*Sed jam Sol rapidos ſuperingerit altior æſtus,*
*Dum loqvor, & tactus radiis incanduit aëer,*
*Jamq́ꝫ tubæ, lituiq́ꝫ ſonant: procedit ad aras*
*Sponſus, ut auſpicibus firmet connubia divis.*
*Finierat Nicer, inverſâ tum protinus urnâ*
*Inſonuit, fluctusq́ꝫ novos emiſit aqvarum,*
*Cornuaq́ꝫ occuluit vitreis taurina ſub undis,*
*Cornua flumineo ſemper viridantia muſco.*
*Fortunati ambo, natiq́ꝫ faventibus aſtris,*
*Et virgo felix, & felix virgine princeps.*
*En virides Titan meliori lumine montes*
*Irrigat, & cœlum diſcuſſâ nube ſerenat,*
*Et placidæ geminis gratantur amantibus auræ.*
*Ipſa novos tellus ſubmittit Dædala flores,*
*Flexibiles hederas, & Eryngion utile nuptis,*
*Cujus flore Phaon, & noto germinis uſu,*
*Dulcia promeruit Permesſidos oſcula Sapphus,*
*Secretum ſpinis qvod Eryngion horret acutis.*
*Hos nova ſeu gremio fert ſponſa, vel occulit ore,*

*Illi-*

Illicitos nunqvam conjunx meditatur amores.
Qvalis in exculto genialis amaracus horto,
Candida fontanis qvam nutrit Hamadryas undis,
Surgit, & ambroſium latè diffundit odorem:
Sic teneræ vernans jucundo flore juventæ
Sponſa nitet, molleſq́; roſas, & lilia vincit.
Lucidus è collo gemmæ Garamantidos ignis
Irradiat, veſtiſq́; pedes deſcendit ad imos
Aurea, flaventes tegit aurea vitta capillos,
Aureaq́; è niveo redimicula pectore pendent.
Sed pudor & probitas, & honeſtas regia cultum
Vincit, & exuperat caſtæ reverentia famæ,
Sordet enim niſi conjunctum virtutibus aurum.
Illius aſpectu flagrantia lumina paſcit
Sponſus, in æſtivo rapidus qvem pulvere Moſa
Somniaq́; Heroum multa inter millia vidit,
Dum fretus ſuperis & eqvo ſublimis & haſtâ
Fulminat, & magno ductor clamore triũphat,
Lætaq́; tranqvillo circumſpicit agmina vultu:
Qvaliter auroræ formoſo prævius aſtro
Lucifer ardentes nitidiſſimus explicat ignes.

Jamq́; dies jucunda fuit, ſimul ordine longo
Accumbunt epulis proceres, lucemq́; morantem
Mollibus aut choreis, vario aut certamine condunt.
Et jam permenſus cœlum Sol occidit, & jam
Montibus è celſis majores ſuſcitat umbras,
Obſcuratq́; ignes ſtellarum Luna minores.
Ecce leves atro crepitantes ſulphure flammæ
Subvolitant, rutilique petunt ſpacia ardua cœli,
Et rapidis vacuas implent ſtridoribus auras.
Sit felix fauſtumque precor: Jovis ales ab alto
Præpetibus plaudit pennis, omenq́; ſecundat
Alituum regina, Pater dum magnus euntem
In thalamos ducit natam, fortiq́; paventem
(Ante Deos ſacrumque thori præfatus honorem)
Commendat genero, lectoq́; relinquit in uno
Conjunctos, dictisq́; ambos ſolatur amicis.
Interea lauro cinctæ Parnasſide Muſæ,
Ante fores, dulces in gyrum fundere cantus
Incipiunt, princepsq́; chori, comitumque ſuarum

Cal-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0046-5

*Calliope doctas præcedit voce ſorores:*
*Lucidus Oceani natales Heſperus undas*
*Deſeruit, tædas portans, noctemq; jugalem.*
*Jam caris Domini formoſa qvieſcit in ulnis*
Dorotheë *primos jungens cum conjuge ſomnos.*
*At vos innuptæ, qvibus intemeratus amantum*
*Lectus & interior thalami concredita cura eſt,*
*Ominibus, votisqve bonis, cantuqve ſecutæ,*
*Dulcis ut æterno concordia fœdere regnet,*
*Hymen, ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.*
*Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe,*
*Qvaliter igne Jovis ſi tacta exaruit ulmus*
*Nuda, carens foliis, culti jam dedecus horti.*
*Non teneras ultra vites, non amplius uvas*
*Educat: at rapidi niſi fulminis ira fuiſſet,*
*Curvaret gravidos antumni munere ramos:*
*Innuba ſic, vitâ dum cœlibe virgo ſeneſcit,*
*Ætatis roſeum videt emarceſcere florem:*
*At caro deſponſa viro, ſua pignora mater*
*Spectat, & optato genitricis nomine gaudet,*

*Et*

*Et thalami cunctos ſolatur honore labores.*
*Hymen, ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.*
*Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hy-*
*menæe!*
*Fallimur? an noſtras vox turturis attigit*
*aures?*
*Turtur amans ſola gemit & ſuſpirat in*
*umbra.*
*Hûc ades ô mea vita, tibi ſub montibus iſtis*
*Oſcula & amplexus, ſecretaq; gaudia ſervo,*
*Partheniiq; udo jam flos tibi creſcit in antro.*
*Hymen, ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.*
*Dicimus, ô Hymenæe Hymen, ades ô Hy-*
*menæe!*
*Vos auræ, qvarum domus eſt circumfluus aer,*
*Solis & umbrarum comites, dum Syrius ardet*
*Fervidus, & certas populis denunciat iras:*
*Vos lenite graves gelidis afflatibus æſtus,*
*Et vitium cœli, ſævosq; avertite morbos,*
*Et facite ut noſtris propria hæc ſint gaudia*
*terris.*
*Hymen, ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.*
*Dicimus, ô Hymenæe Hymen, ades ô Hy-*
*menæe!*
*Tu qvoq; ſancte ſenex, cujus jam lumen in*
*ortu (cum,*
*Cernimus, inſignemq; aſtris fulgentibus ar-*

*Qvan-*

Qvandoqvidem ſuccos fama eſt te noſſe ſalubres,
Herbarumqve parens monſtravit Phylliris uſum:
Qvære novos flores, nuptæ qvibus inclita mater
Amiſſum reparet pulſo langvore vigorem.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe!
Eſte unà, dulcemq; una producite vitam.
Dum licet, ac parvos aviæ transmittite natos,
Omnia nam magno labentia ſidera cœlo
Venturos meliora jubent ſperare nepotes.
Hymen, ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe!
Fortunate ſocer, novus alti ſangvinis ordo
Naſcitur, unde genus maternum ſera propago
Francorum primo regnum numerabit ab ortu.
Vos qvoq; felices Socero, ſublimia fratres
Pectora, qvos ſtabili jungit concordia nexu:
Sic (reor) alternâ qvẽ morte redemit ab Orco,
Tyndarides, fratrem dilexit Caſtora, Pollux.
Vos colimus, veſtramq; duces, dum cuncta relinqvunt,
Imploramus opem: nec vos juviſſe pigebit.

Qvas

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0049-5

Qvas veſtri fovére atavi, fovére parentes,
Præcipuè dignas magnis Heroibus artes.
Acre ſed inprimis ſtudium pietatis & almæ
Juſtitiæ, pacisq́; bonæ ſub pectore regnet.
Qvandoqvidem curam princeps ubi negligit æqvi,
Sunt mutæ veluti defuncta cadavera leges.
Hymen, ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.
  Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Nox ruit & placidos jam ſvadent ſidera ſomnos,
Jam ſecura qvies lethea papavera qvaſſans,
Aëris immenſi tractûs, & proxima Lunæ
Regna tenet, pelagiq́; ſinus, terrasq́; jacentes,
Et volucrum genus omne ſilet, genus omne ferarum,
Somniaq́; humanas ſolantur inania curas.
Ipſa ſibi cultis nova Nupta videtur in hortis,
Mollibus aut pratis, aut in convalle virenti,
Narciſſium, thymbramq́;, roſasq́;, & molle liguſtrum
Et mites vuas, & ſvavè rubentia mala

Car-

Carpere, dilecto jucundum munus amanti,
Candidaq́; aureolæ contexere lilia calthæ,
Hymen, ô Hymenæe Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
O qvoties tibi nocte virum, ſeu bella gerentem
Horrida, ſeu deſerta feras per luſtra ſeqventem
Afferet in ſomnis, volitansq́; reducet imago!
Ille ſed in caſtris, nudove ſub æthere pernox
Aſpera robuſto geſtat venabula collo.
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Dulcis Hymen, tibi non meritos largimur honores,
Et nomen laudesq́; tuas celebramus ovantes.
Salve, magne Nicer, populi lætentur, & urbes,
Et gelidæ valles, gelidiqve in vallibus amnes,
Qvos tantis ſuperûm rector dignatur alumnis.
Jam liqvidum ſacro commixtum Nectare rorem
Sudabit cœlum, ſubdabunt balſama ſylvæ,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0051-3

*Pingvia flaveſcent injuſſis meſſibus arua;*
*Nataq; ſponte ſuâ mirabitur hordea tellus.*
*Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ*
*Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hy-*
*menæe!*
*Finierant ſonuêre novis applauſibus ar-*
*ces:*
Dorotheen, *rupes ipſæ, vaga flumina cla-*
*mant*
Dorotheen, *juga* Dorotheen *vicina re-*
*mittunt.*
*Tùm pater omnipotens ter ab æthere Jupi-*
*ter alto*
*Intonuit, cœloq; dedit bona ſigna ſereno,*
*Altaq; per celſos ſunt facta ſilentia montes.*

COM-

# *COMMENTARIOLUS* PHILOLOGICO-HISTORICUS

*In præmiſſam P. Lotichii Eclogam.*

## PRÆFAMEN.

QVanqvam terſa politaqve ſunt omnia in Petri Lotichii Secundi, nulli veterum ſecundi, poëmatis, ad Eclogam tamen VI. ſeqveſtratis reliqvis, florum nonnihil ſpargere induximus animum, eò qvòd illuſtriſſimæ duæ Germaniæ Domûs, SAXONICA & PALATINA in ea percenſentur. Ita enim non poëticos tantùm hortulos viſere, ſed in campos qvoqve ampliſſimos Hiſtoriæ Germanicæ, neceſſariæ non minùs, qvàm jucundæ atqve utilis, expatiari nobis licebit. Eqvidem Eclogæ, tanqvam carmina bucolica, qvæ & Idyllia audiunt, vile & rureſtre qvidpiam præ ſe ferre communiter ſolent. Verùm non omnes Eclogas argumenti eſſe Bucolici, jamdudum olim obſervavit Servius, doctiſſimus Virgilii illuſtrator, & tres illæ Virgilianæ Eclogæ, Pollio, Si-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0053-4

lenus & Gallus ſat loqvuntur. Qvid mirum itaq;, Eclogam in nuptias illuſtriſſimi Paris à Poëta ſuperioris ſeculi incomparabili fuiſſe ſcriptam? Cæterùm cùm Bucolicorum carminum æqvè ac reliqvorum alia ſint ἐξηγηματικὰ, alia δραματικὰ, alia μικτὰ, Ecloga hæc accenſenda mixtis venit, qvippe in qva præter Poëtam Calliope loqvitur jam Poetam alloqvens, mox è libro Mnemoſynes ſtirpem Saxonicam à *SIGARDO* ad *JOHANNEM WILHELMUM* usq; enarrans; Nicer item fluvius familiam Palatinam à prima origine repetens, & deniqve Muſæ novem Hymenæum illuſtriſſimis ſponſis accinentes. Fuit autem *JOHANNES WILHELMUS* Dux Saxoniæ ex *linea ERNESTINA*, *JOHANNIS FRIDERICI CRUCIGERI* Electoris filius, *JOHANNIS FRIDERICI II.* ob factionem Grumbachianam in Auſtriam abducti & in Neoſtadienſi cuſtodia mortui frater, nec non duarum linearum, *Altenburgicæ*, in *FRIDERICO WILHELMO III.* paucis abhinc annis extinctæ, & *Vinarienſis*, qvæ ad-

adhucdum florentiſſima eſt, autor, eo-pſe anno, qvo Auguſtana Confeſſio Carolo V. Auguſtæ Vindelicorum exhibita eſt, in hanc lucem editus. *DOROTHEA* autem *SUSANNA*, qvæ *JOHANNI WILHELMO* huic nuptum data eſt, patrem agnoſcit *FRIDERICUM III.* eumqve Comitem Palatinũ Rheni, *STEPHANI IV. RUPERTI* Cæſaris filii abnepotem, & *JOHANNIS* Ducis Simmerenſis & Comitis Spanhemienſis filium, ad qvem Electoralis dignitas, cùm tota *LUDOVICI BARBATI*, primogeniti *RUPERTI* Cæſaris, poſteritas in *OTTONE HENRICO* deſiiſſet, translata eſt. Sed plura de his in floribus ad Eclogam ipſam ſpargendis.

*Seqvuntur ipſæ*

## NOTÆ PHILOLOGICO-HISTORICÆ.

1 VOs mihi.] Cùm tres carminis epici ſint partes, propoſitio, invocatio & narrati nullã harum omiſit Poeta noſter in hac Ecloga. Sed propoſitio neſcio cujus vel incuriâ vel injuriâ pulcherrimo huic carmini ademta eſt, nonniſi à Lotichio qvodam, h. e. examuſſitato Vate ſupplenda. Bre-

vem illam, & ſex circiter verſibus conſtantem, legibusqve adeò poëticis conformem fuiſſe, vel ex vacuo relicto colligere eſt. Proponendum enim in epico carmine ſine pompaticâ granditate & exqviſito ornatu, & lux ex fumo danda, ut Venuſinus in Arte docet, non ex fulgore fumus, Homeri, Virgilii, Statii aliorumqve principum Poetarum exemplo. Non deeſt autem carmini huic Invocatio, qvin triplex ea deprehenditur, ad Muſas videlicet, ad Venerem & Principem ipſum *Johannem Wilhelmum.* Solebant enim & veteres poëtæ, qvos preſſè noſter ſeqvitur, non Deos tantùm, qvos auſpicatum reddere propoſitum ſuum poſſe intelligebant, ſed Cæſares qvoqve aliosqve illuſtres viros invocando ſibi propitiare; Maro ſiqvidem Auguſtum initio Georgicorum, Ovidius Germanicum Cæſarem in Faſtis, Valerius Flaccus in Argonauticis Veſpaſianum, Lucanus Neronem, Statius Domitianum invocavit. *V. Voſſ. Inſtitut. Poët. l.3.c.4.* Verùm hîc non abs re qvis ſciſcitetur, num poetam Chriſtianum, qvalem Lotichius ſe profeſſus eſt, Muſas, Venerem aliosqve Gentilium Deaſtros invocare deceat? Factum illud ab Actio Syncero Sannazario, Poetarum inter Italos ſuo tempore coryphæo, in ſublimi poëmate de partu Virginis, qvippe in qvo non Phœbum tantùm ac Muſas fuit precatus, ſed Deiparam qvoqve induxit Sibyllinis libris intentam, & Protea de Chriſto vaticinantem. Factum etiam à Mich. Marullo in hymnis, aliisqve pluribus poëticæ paganitatis amaſiis. At perperàm

& mi-

& minùs Chriſtianè egiſſe Sannazarium, jamdudum Eraſmus in *Ciceroniano ſuo* docuit, Chriſti myſteria *non eruditè ſolùm, verùm etiam religiosè tractanda eſſe* non abs re contendens. Qvîcum facientes Theologi noſtrates (ut alios jam prætereamus) ne Deorum qvidem gentilium nomina pro rebus illis, qvæ inventa illorum mumerave fuerunt credita, ſi qvidem de materia ſacra ſermo ſit, adhibenda à poetis & ſcriptoribus Chriſtianis, qvàm rectiſſimè cenſuerunt. *V. Finck. in canon. Theol. c. 7. p. 44. Franzius de interpretatione ſcripturæ pag. 96. Danhauerus in Colleg. Decalog. diſput. 2. §. 12. & qvi ex profeſſo ſcripta Ethniciſmi tunc confutavit, Balthaſar Gockelius*, in libro, cujus epigraphe: Heidniſche Poeterey Chriſtlich corrigiret und verbeſſert (alſo und dergeſtalt/ daß der Götter Nahme 1. dem rechten wahren GOtt nicht ſolle gegeben werden. 2. deren nicht ſoll zu ihrer oder andern Ehre und Ruhm gedacht werden. 3. kein Chriſt bey denen ſchweren ſoll/ edit. Tubing. Anno 1647.) Conf. *Thomaſius noſter in Diſp. de ſtyli Ethniciſmo fugiendo §. 12.* ubi ingens autorum cacoëthes hoc deteſtantium nubes affertur. Poëtam noſtrum qvod attinet, excuſabilis in eo Muſarum Venerisqve invocatio videri poteſt, qvòd argumentum non ſacrum, ſed hiſtoricum partim, partim feſtivum & nuptiale decantandum ſibi ſumpſerit. Nam omninò temperamento hîc aliqvo eſt opus, qvod & eloqventiæ purioris fons Buchnerus ſuggerit *in de commutata dicendi ratione* ſic dicens: *Abſti-*

*nere intotum ſuperſtitioni cuidam videatur ſimile: promiſcuè omnibus & ubivis uti, irreligioſitas fuerit. In ſacro certè ſcriptionis genere, cùm de ſanctiſſimis Fidei noſtræ capitibus & ſacramentis loqvendum eſt, aut Chriſto Servatori in Dramate aliqvo, vel Angelo etiam, Apoſtolove tribuendus eſt ſermo, talibus locus ullus haut eſt &c.* Invocationem poetæ triplicem excipit narratio, qvæ generis, prout jam præmonuimus, mixti eſt, nec poetam tantùm, ſed & Calliopen, Nicrum & Muſas loqentes repræſentat.

4 *Poſt bella gravesq; labores.*] Inter bellicoſos Saxoniæ Duces referendus omninò & hic *Johannes Wilhelmus*, unde & versû 14. & 15. fortibus armis ingentibusqve factis *celebres æqvare proavos* non præter rem dicitur. Minimè autem bello interfuit Smalcaldico, ut frater Johannes Fridericus II. ſed domi tùm relictus res ejus curavit, & Legatum Patris tùm ad Mauritium, tùm ad Imperatorem egit. *V. Spenerus in Sylloge Genealog. p. 122.* Poſt annorum deinceps aliqvot interſtitium, cùm Cæſari Ferdinando operam ſuam tàm ad togam, qvàm ad ſagum fruſtrà obtuliſſet, Anno 1558. Henrici III. Regis Galliæ ſtipendiis ſe addixit, & ter mille ac qvadringentos eqvites duxit in Galliam. *V. Chytræus in Saxonia lib. XIX. p. 500.* ubi plurima fortitudinis aliarumqve virtutum reliqvit veſtigia, non fortem ſolùm bellatorem, ſed & ſalutarem agens pacificatorem. *V. Nic. Reusnerus in Genealogia ſtemmatis Wittekindéi fol. 43.* Atqve hæc eſt illa expeditio, qvam per *bella gravesq; labores* Poeta noſter

noſter intelligit. Nam ex Gallia, pace inter Henricum II. Galliæ, & Philippum II. Hiſpaniæ Regem ſtabilitâ, redux factus, Anno 1560. *Dorotheam Suſannam, Friderici III.* Electoris Palatini filiam ſolenniſſimis nuptiis à Lotichio celebratis ſibi ſociavit. *V. Nic. Ritterhuſ. in Tabula Genealog. Electorum ac Duc. Saxoniæ.* Cæterùm & aliis bellis laudatiſſimus hic Princeps interfuit. Cùm enim frater Joh. Fridericus II. à Wilhelmo Grumbachio & conjuratis inductus conſilia de mutando Imperii ſtatu agitaſſet, nec ullis Cæſaris Principumqve monitionibus revocari ſe ab illis paſſus eſſet, unà cum Electore Saxoniæ *Auguſto* (huic enim executio proſcriptionis à *Maximiliano II.* Imp. commiſſa erat) Gotham obſedit atqve expugnavit; unde & dominium omnium fratris ditionum autoritate Cæſareâ & communi totius imperii decreto fuit conſecutus; qvi tamen filios poſtmodùm ejusdem, *Joh. Caſimirum* & *Joh. Erneſtum* ad hæreditatem omnium, memorabili certè exemplo, admiſit. *V. Ritterhuſ. in exegeſ. Geneal. p. 115.* Deinde, cùm bellum Galliæ inteſtinum, qvod in horrendam tandem & deteſtandam lanienam anno 1572. erumpebat, inter Carolum IX. & Ludovicum Condæum, Caroli filium, recruduiſſet, evocatus à Rege Galliæ *Joh. Wilhelmus* tria millia eqvitum in Galliam duxit; qvo tempore & *Joh. Caſimirus*, Comes Palatinus, & *Dorotheæ Suſannæ* frater à Condæo ad ſocietatem belli accerſitus. *V. Richardi Dinothi hiſtoria Gallica lib. 3. p. 207.* ſed pace mox factâ domum rever-

ſus in novum bellum, idqve Theologicum, incidit. Gliſcebant enim Interimiſtici inter Theologos Thuringicos Miſnicosqve errores. Inſtigatus itaqve ab Electore Saxoniæ Auguſto Colloqvium eodem anno indixit Aldenburgi, eiqve ipſus præfuit, in qvo de Libero arbitrio & adiaphoris, de neceſſitate item bonorum operum & juſtificatione hominis fuit diſputatum. Tantum autem abeſt, ut animis inter ſe coiverint Theologi jam dicti, ut publicis potiùs invectivis inter ſe certârint, Principesqve ipſi ad acerbiſſima odia fuerint inflammati. *V. Acta Colloq. Aldenburgenſis utrinq; edita 1570. & Chytræus in Saxon. l. 22. p. 578.*

32 *Obvia Calliope.*] Epici non trivialis partes expleturus Lotichius pauciſſima fatur ipſemet; reliqva tribuit perſonis vel qvaſi perſonis ab ſe introductis. Ac primùm qvidem novem Muſas exhibet ſibi ad Nicrum conſidenti, veteresqve amores recolenti ſubitò obviàm factas, easqve pulchrè veſtitas omnes, & Hymenæum cantitantes; principemqve illarum Calliopen ſe ad illuſtrisſimas nuptias proſapiasqve decantandas animantem. Scitè profectò & perqvàm commodè. Muſarum enim eſt res geſtas Heroum & tenere memoriâ, & celebrare ex merito, poſterosqve carmina panegyrica vel legentes vel audientes ad paria tentanda atqve expediunda accendere. *Conf. v. 49. ſeqq.* Neqve enim abs re Jovis ac Mnemoſynes, Memnonis item ac Theſpiæ filiæ dictæ ſunt Muſæ; nec fruſtra tres Muſæ primitùs fuerunt cultæ, Mneme, Melete & Aœde.

Acede. *V. Natal. Comes Mythol. L. VII. cap. XV.* qvorſum & Poeta noſter reſpiciens Calliopen mox inducit ex aureo gemmeoqve Mnemoſynes volumine facta Ducum Saxonicorum illuſtria recitantem. Aliàs Muſæ non inſtrumentis tantùm, ſed & carminum generibus diſcriminari à poëtis plerisqve ſolent; Sed hîc

*Omnibus ex humeris citharæ, decor omnibus idem,* 33

idem etiam cantus; nam omnes

*Hymen, ô Hymenæe Hymen, Hymenæe canebant.* 37

Nimirum licentiâ poeticâ prudenter hîc utitur Lotichius, concordiam qvippe ſeu harmonicorum animorum concentum, qvi matrimonii cujusq; & firmisſimum longè munimentum & ſvavisſimum pariter condimentum eſt, in Muſis & habitu & cantu concordantibus non obſcurè nec inconvenienter repræſentans.

*Ruta virens.*] Laurus arbor eſt Muſis Apollini- 55
qve ſacra. Sed hîc Muſæ non lauro tantùm, ſed viridi qvoqve rutâ dicuntur redimitæ. Scilicet cùm res geſtæ Ducum Saxonicorum à Muſis in hoc carmine percenſeantur, non inconcinnè ſertum illis rutaceum, qvod domûs Saxonicæ inſigne eſſe conſtat, tribuitur. Primus autem *Bernhardus Alberti Urſi*, Comitis Aſcaniæ filius id ornamenti à Friderico Barbaroſſa obtinuit; poſteaqvam Henrico Leone, Bavariæ & Saxoniæ Duce ex Barbaroſſæ &

principum decreto Ducatum Saxoniæ tanqvam præmium fortitudinis in bellis Mediolanenſibus ſpectatæ impetraſſet exoraſſetq́; ſupplex Imperatorem, ut arma novi Ducatûs novo aliqvo decore inſigniret, Fridericus, prout tunc coronatus per æſtum fuit, rutaceam coronam ex obliqvo ſupplicantis clypeo injeciſſe. *V. Dreſſerus millenar. 6. part. 2. p. 415. Spenerus in Tractatû de Inſignibus domus Saxon. ſect. 1. §. 5. & D. Alberti, in diſp. de ſerto rutaceo An. 1664. habita lemniſco III. floſ. 1. & 2.* qvanqvam alii inſignium materiam ex Virginis Venetæ amoribus arceſſunt, qvacum Bernhardus abituriens & rutaceam corollam memoriæ ergò diviſiſſe dicitur; qvæ tamen ſententia & probabilitate & fide hiſtoricâ deſtituitur. *V. Spenerus & Alberti l. c. Conf. noſtras ad Orbem Imp. Hornii notas. p.* 116. Si Laurentium Fauſtum in *Chriſtiana admonitione de ſerto Rutaceo*, qvam *ſtemmati Saxonico* ſubjunxit, audias, non ſine divinâ adgubernatione & ſingulari myſterio domus Saxonica ſerto rutaceo fuit inſignita. Nempe, uti ruta veneni omnis eſt impatiens: ita domus Saxonica hæreſeos. Atqve hinc Sabinus:

*Hic ubi ruta nemus facit, umbram qværit in æſtu*
*Relligio rutâ tuta virente viret.*

*Conf. D. Stegman. in dedic. Chriſtognoſiæ partis primæ ſub finem.* Et verò ea rutæ virtus atqve efficacia eſt, ut ubicunq; locorum ſuppullulat, nihil venena-

nenatorum degat reptilium ; refertur etiam ſuo merito inter alexipharmaca à Medicorum filiis, unde & Lotichius, Medicus non minùs, qvàm Poeta eximius in peculiari de Rutâ carmine :

*Ruta virens abigit metuendos ictibus angves,*
*Ruta inhibet diræ mixta venena manû;*

Et mox :

*Et qvoties diri ſerpunt contagia labis,*
*Implorant homines graminis hujus opem.*

*Vaſta jacet.*] Calliope, qvam loqventẽ Poeta fin- 62
git, ſtemma Saxonicum ex cyaneo Mnemoſynes libro enarratura Weſtphaliam, veterem Saxonum ſedem, deſcribit primitùs tùm qvoad ſitum, tum qvoad ſoli ac pecudum fertilitatem. *Dives agri, dives pecoris:* Et verò Weſtphalia hodieq; frugifera eſt, ſed, qvod *Mercator in Atlante majore* notat, earum rerum, qvæ magis alendis gregibus, qvàm hominibus conducunt. Animalium etiam domeſticorum præter feras, numeroſiſſimos habet greges, porcorum maximè, qvi principum menſis ob pernas delicatiores expetuntur. Qvod ſitum attinet, Septentrionalis eſt, ſeu, ut Poeta effert, *Boreæ flabris obnoxia tellus*, & *qvam ſpectat ab alto* &c. Eaq; ſecundùm Poetam Geographosq; ad occaſum habet Rhenum, ad Orientem ſeu ad auroram & *Nabathæa regna* (Nabathæum enim idem, qvod Orientale eſt, qvia Nabathæa, Arabiæ regio, Syriæ confinalis

finalis ad Orientem ſpectat) ad Septentrionem Chauci, qvos *Lucanus Lib. 1. & Claud. 1. de laudibus Stiliconis*, *Corycos* vocat, populos ad littus Oceani inter Rhenum & Albim habitantes, in majores minoresq; diviſi. *V. Micyllus ad Lucan. p. 28.* qvorum finibus hodiè comprehenduntur Ducatus Bremenſis, Friſia Orientalis & qvatuor Comitatus, Oldenburgenſis, Delmenhorſtenſis, Depholtenſis & Hojenſis, pars item Septentrionalis Ducatûs Mindenſis. *V. Cluver. Germ. antiq. lib. 3. c. XVIII.* Sic autem de Chaucis Tacitus lib. de moribus Germ. *Tàm immenſum terrarum ſpatium non tenent tantùm Chauci, ſed & implent, populus inter Germanos nobilisſimus, qviq; magnitudinem ſuam malit juſtitiâ tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia; qvieti, ſecretiqve, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur; idqve præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, qvod, ut ſuperiores agant, non per injurias aſſeqvuntur: promta tamen omnibus arma, ac, ſi res poſcat exercitus, plurimum virorum eqvorumq; & qvieſcentibus eadem fama.* Huc usqve verba Taciti, ex qvibus & liqvidum evadit; cur *genus acre* hi Chauci à Poeta per appoſitionem dicantur. *Conf. Cornel. Kemp. de orig. Friſiæ lib. 1. c. VII.* Ad meridiem deniq; ſeu ad latus, *unde madens imbres demiſerat Auſter*, Weſtphalia habet montes Hasſiæ, Ptolemæo & Poëtæ noſtro Obnobros appellatos, ex qvibus Ameſis, qvi & Amiſius aliis, aliis Amaſius, dicitur, exiens in *Oceani* tandem *refluas arenas* h. e. mare Germanicum fluxû

& re-

& refluxû celebre apud Emdam prænobile Chaucorum minorum emporium, unde & nomen mutuatur, Ems dictus, decurrit. *V. Atlas Mercatoris in Germ. f. 230.*

*Illa potens Regum.*] Reges præfuiſſe Weſtpha- 72
liæ Witikindus Rex argumento eſt, de qvo plura poſtideà. Abſolutos autem fuiſſe Reges haut temerè dixerim. Sic enim Tacitus: *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt; nec regibus infinita aut libera poteſtas, & Duces exemplo potiùs, qvàm imperio præſunt.* Crediderim ergò ſtatum Ariſtòcraticum magis, qvàm Monarchicum, ibi obtinuiſſe, ita tamen, ut dignitate aliqvis ante alios conſpicabilis ſplendorem Monarchici ſtatûs, uti hodie Poloniæ Rex Reipubl. Polonicæ, ſit fœneratus. *V. Conring. ad Lampad. part. 3. cap. 2. §. 1. p. 98. & Chriſtianus VVeiſius in diſſert. de Carolo M. cap. II. diſ. 3. §. V.* Cæterùm qvæ de Weſtphalis abs Poëta pronunciantur, vero affinia ſunt omnia, & reliqvis Germaniæ populis communia. Atqve ut de bellicoſitate nihil dicam, qva de *Franciſcus Irenæus toto libro IV. Germanicæ exegeſeos* ex profeſſo agit, ſerpentem illi, licet horridum & viſû non amabilem, cum aliis Gentilibus venerabantur; cujus ſuperſtitionis occaſio haut dubiè à ſerpente æneo, qvem Iſraelitis, tanqvam morborum averruncum, ſuppeditabat Moſes, à Diabolo, ſimiâ DEI, decepta. *V. Conring. de Hermetica Medicina c. 2. p. 14.* qvam & hodie non planè exulare apud Chriſtianos videas, dum angves domeſticos occidi vetant.

*V. Fer-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0065-0

*V. Ferdinand. de Corduba in de didaſcalia multiplici c.1.* Religioni autem non niſi in lucis ac nemoribus vacabant. Sic namqve Tacitus c.9. *Cæterùm nec cohibere Deos parietibus, nec in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos & nemora conſecrant, Deorumq; nominibus appellant ſecretum illud, qvod ſolâ reverentiâ colunt.* Atqve hinc Germanica vox Wallfarten i.e. more veterum ad ſacra in ſylvam ire, qvæ hodienum de peregrinationibus Romanenſium ad loca ſancta v.g. Mariam Lauretanam & Jacobum Compoſtellanum &c. uſurpatur. *V. Burgold. in Notit. Imperii p. 812.* Præter cæteras celebris fuit ſylva Herculi ſacra in Cheruſcorum finibus trans Viſurgim *V. Tacitus. L. 2. Annal. c. 12.* & Baderbornæ lucus in Friſiis. *V. Tacitus l. 4. annal. c. 37.* Solebant autem non qvævis ſylvæ ad rem ſacram faciendam eligi, ſed eæ tantùm, in qvibus vetuſtisſimæ & maximæ molis qvercus excreverant. *V. Schedius de Diis Germ. Syngram. II. c. XXIV. Stuckius de ſacrificiis p. 162. Saubertus de Sacrificiis c. XIV. & Urſinus in arboreto Biblico p. 1. c. XVII.* Isqve mos non minùs, qvàm alii plurimi, à Diabolo inductus, factum qvippe Abrahami depravantis, qvi qvercetum Mamre vero DEO conſecraverat. *V. Edmundi Dickinſon in Delph. Phœniciſſ. p. 40. D. Geierus in tract. de ſuperſtitione c. III. §. 13. & Hildeb. de precibus veterum Chriſtianorum §. 1.* Itaqve non abs re dixit Poeta:

*ſæpe*

*--- --- ſæpe horridus angvis, (cus.*
*Conſcia ſæpè vetus terrebat pectora qver-*

Sed pergit:

*Præcipuè Heroas pugnatáq; bella canebat*
*Solennes epulas, inter &c.*

Canebant nempe hæc talia Germani in conviviis tùm ut ſeipſos aliosq; ad avitam virtutem factis exprimendam ſtimularent, tùm ut gratam defunctorum memoriam recolerent, & ad poſteros qvoqve transmitterent. Neqve enim alii Germanis annales erant, qvàm Carmina, qvod præter Tacitum Jornandes, Germanorum ſcriptorum antiqviſſimus, Warnefridus, Saxo Grammaticus, in Daniæ hiſtor. & Johannes Aventinus in Annalibus Bojis conteſtantur. *Conf. Isleb. Agric. in proverb. Germ. p.m. 116. Taubm. not. ad Culicem Virgil. & Conring. in præfat. de Hiſtoria p. 49.* Nec cantando tantùm, ſed & bibendo Heroas præclarè de patria meritos honorabant; Gothi certè non pro vivorum tantùm, ſed pro mortuorum qvoqve memoria bibebant. *V. Loccen. lib. 2. antiq. SveoGoth. cap. XXI. p. 112. & ſeqq.* Gothos autem gentem Germanicam eſſe, oſtenſum dedit *Franciſcus Iren. Exegeſ. German. l. 1. c. XXVI.* ut alios ſilentio nunc prætercam.

*Luſtralibus undis.*] Sacrum baptiſmum his un- 81
dis denotari nemo non videt. *Wittekindus* enim Rex Saxonum & Dux Angriæ à Carolo M. devictus tandem ac debellatus, cùm Chriſto nomen da-

re,

re, ipſiq; tanqvam ſervatori ſuo & armis & fide inſervire inſtituiſſet, ſacro baptiſmi lavacro ſolenniſſimè fuit ablutus. *V. Fabricius Orig. Saxon. l. 4. f. 438. & Reuſnerus in ſtemmate Wittekindeo f.* 13. Sapit autem *luſtralis unda* Gentiliſmum. Gentilium certè luſtrationes h. e. ſacras purgationes in mentem nobis revocat; ſolebant enim infantes non lavari tantùm à matre adhuc rubentes, & ex utero vix editi, ſed & octavo vel nono die ſolenniter luſtrari. *V. Meurſius in Græcia Feriata l. 1. in ἀμφιδρόμια p. 20. 21.* Vocabantur enim dies luſtrici id genus ἀμφιδρόμια, ὀνομαςήρια item ſeu Nominalia; qvorum de ritibus multa eruditè obſervavit J. Caſaubonus *in aureo ad Satyram II. Perſii Commentario*, ubi inſimul ex B. Chryſoſtomo notat, moris fuiſſe apud nonnullos, qvi pro Chriſtianis haberi voluerint, ut infanti nomen impoſituri lumina multa accenderent, ſuum cuiqve nomen aſſignantes, putà uni lumini Zoſimi appellationem indiderint, alteri Stephani, tertio Procopii, & ita in cæteris, atq; ejus demum, qvod cæteris extinctis ſupervixerat, puero nomen impoſuerint; qvæ ſuperſtitio ex ominum haut dubiè ratione originem accepit. *Conf. Boxhorn. animadverſ. in qvæſt. Rom. p. 147.* Cæterùm non ſolos homines, ſed etiam templa, areas, arma, tubas, domos, urbes, agros aliaq; luſtrata antiqvitùs fuiſſe conſtat; in amburbiali potiſſimùm & ambarvali proceſſionibus menſe Februario (nam februare idem qvod purgare eſt) fieri ſolitis. Tùm enim circuitiones circa pomœria urbis agroſqve

inſtitutæ vel ad pacem Deorum, ut loqvebantur, expoſcendam hoſtemq́; ab aris & focis abarcendum, vel ad fœcundandos agros, vel ad expianda prodigia, aliaq́; qvævis mala averruncanda. *V. Alex. ab Alex. Genial. dier. l. V. c. XXVII.* Sic qvinto qvôq; anno Suovetaurilia celebrata, inq́; illis urbs luſtrata. *V. Tiraqvell. ad Alexandrum l. c. f. 805.* Sic Fabricius, inſignis Philoſophus pariter atqve Hiſtoricus *l. 3. antiqv. monumentorum p. 169. & 170.* teſtatur in veteri Calendario ruſtico, menſe Aprili ſcriptum eſſe, OVES LUSTRANTUR, & menſe Majo, SEGETES LUSTRANTUR; qvibus luſtrationibus mors, nebula, impetigo, peſeſtas i. e. peſtilentia, teſte Feſto, averti credebatur, *V. Laurenb. in Antiqv. in voce peſtitas p. 336.* Atq; hic aqvæ luſtralis uſus cum ſuperſtitionibus aliis longè plurimis ex Ethniciſmo ad Papiſmum tranſiit; autore Alexandro P. R. qvi Anno Chriſti 121. vixit. Ita enim Platina in vita ejus: *Inſtituit, ut aqva, qvam ſanctam appellamus, ſale admixta interpoſitis ſacris orationibus & in templo & in cubiculis ad fugandos Dæmones, retineretur.* Nec diffitentur ipſimet Pontificii, hanc aqvæ benedictæ ſuæ, qvâ templum ingredientes adſpergere ſe ſolent, originem ſive occaſionem. *V. Baron. ad Annum 44. n. 88. Polydor. Virgil. de inventor. rer. l. 6. c. 1. aliiq́; Romanenſes plures ab Hunnio in Apoſtaſia Romana p. 476. allegati.* Niſi dicere fòrs qvis malit, ab antiqvis Judæorum ceremoniis id aqvæ ortum ſuum arceſſiviſſe. Nam Sacerdotes & Levitæ veteris Teſtamenti non

ſolùm ſeſe ac populum, ſed portas qvoq; & murum Hieroſolymæ, teſte Nehem. c. 12. purgabant. *V. Selden. l. 1. de Syned. c. III. & X. & D. Geierus de luctu Hebræor. c. XXI. §. 3.* Nec exſpirâſſe apud recenſitos hunc morem, *Dietericus lib.* 1. *antiqvit. biblic. p. 52. & ſeqq.* nos docet, ubi & Turcas hodieq; eundem in Meſſitis ſeu templis ſuis ritum obſervare ex ſcriptoribus fide dignisſimis affirmat. Judæos ſanè Portugallenſes, qvi Amſtelodami etiamnum degunt, Synagogam ingreſſuros aqvâ manus abluere, aut leviter ſaltem adſpergere accepimus. *V. Thomas Stegerus in Diſſert. de lotionibus veterum c. II.*

82 *Witikindus.*] Dicitur hic *Sigardi* pronepos & rectè. Nam ex *Sigardo*, Saxonum rege, circa annum Chriſti 633. natus eſt *Edelhartus*, qvi contra Francos, eorumq; ducem Carolum Martellum infeliciter depugnavit; ex hoc *Wernekinus*, qvi bellis abſtinuit, & ex *Wernekino* hic *Wittekindus*, à rerum geſtarum magnitudine *Magnus* inſignitus. *V. Fabric. l. 2. Orig. Saxon. f. 72. & Reuſnerus l. c. f. 4.* Eqvidem duces Saxonum *Sigardo* anteriores ab aliis referuntur; Sed qvoniam Hiſtoria de illis incerta eſt oppidò, nec ullo idoneo ab autore demonſtrata, non citra cauſam à *Sigardo* hanc ſtirpem Poëta auſpicatur; præſertim cùm in vetuſto ſtemmatis Saxonici libro, qvem Fabricius *Origines* in *Originibus ſuis* vocat, *Sigardus* primus autor & qvaſi propago ſtirpis Saxonicæ ponatur. Conf. *Spenerus in Sylloge Geneal. p.* 109. Hujus pronepos *Wittekindus*, teſte *Eginharto in vita Caroli M.* (qvam Henricus

Co-

Comes Nuenarius edidit) continuos tres & triginta annos bella geſſit cum Carolo M. Hic enim, uti religionis Chriſtianæ aſſertor erat conſtans & zelo plenus, ita Saxonum gentem ferocisſimam & cultui vanisſimorum idolorum deditam abſtrahere & deducere ad veram DEI cognitionem, viribus omnibus contendebat. Sed *Witikindus*

*Defendit veteres ritus, moresq́ſ ſacrorum.* 83

Colebat autem potisſimùm Crodum tanqvam Saturnum, & Irmenſulam tanqvam Martem Saxonicum, qvem & Martem alii, alii Arminii ſtatuam fuiſſe arbitrantur. Erat enim Irmenſula vir armis terribilis & gladio accinctus, in galea gallum, in thorace urſum, in clypeo leonem, repræſentans & manû dextra vexillum ferens cum inſigni roſæ rubeæ, ſiniſtrâ lancem æqvilibrem. *V. Fabric. l. IV. p. 426. Kranzius Saxon. l. 2. f. 36. Peccenſtein in Wittikindeæ familiæ proſapia ab initio*, & qvi primo loco nominari debebant, *Elias Schedius in de Diis Germanis, Reineſius in de DEO Endovellico, & H. Meibomius in peculiari de Irmenſula Saxonica tractatu.* Conf. *Chronicon Cygnenſe Schmidii part. 1. p. 358.* aliaq; urbium Saxonicarum & Miſnicarum Chronica, qvæ pleraq; omnia religionem veterum Germanorum idololatricam percenſent. Juraturus *Wittikindus* jurabat per coronam & caput ſuum, per ſidera, per ſacros lucos atqve altaria. Neqve enim per Deos tantùm, ſed per alia qvoq;, qvibus divini qvid ineſſe rebantur, imò carisſima qvæqve aut qvæcunqve obvia, Gentiles pejerabant. Sic



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0071-4

Thebæi per Oſiridem, Perſæ per Mithram h. e. Solem, Scythæ per ſolium regis, per ventum & acinacem, Ægyptii per allium, porrum & cepas, Socrates per canem & platanum, alii per creaturas alias jurabant. *V. Alex. ab Alex. l.V. c.X. & Tiraqvelli ad hunc Notas; Briſſonium in Formulis p. 707. ſeqq. Dilherr. Elector. l.2.c.*11. *Weiz. ad Prudent. pag. 762. Henelium in otio VVratislavienſi cap. XV.* Sic Mahometes, teſte Zigabeno, per ſolem, lunam, aſtra, igneum ſplendorem, animalia aliaqve hujusmodi jurabat. *V. Gerhard. T.III.L.Th.p.*132. Qvid qvòd Judæi qvoq; per cœlum, per terram, per Hieroſolymam, per templum, per altare, imò & capita ſua jurabant. *Matth. V. & XXIII. V. Gerhard. l.c. Grotius de Jure belli & pacis. l.*1. *c.*13. *& Walæus Comment. in N.T. p.52. & 53.* Qvanqvam autem avitam religionem obſtinatè & præfractè defendebat *Wittikindus*, qvatuordecim qvippe præliis cum Carolo M. congreſſus, Saxonas tamen reliqvos, à Carolo debellatos, Chriſtianiſmo initiatos videns, & ipſe à Carolo victus ad obſeqvium & fidem Chriſtianam fuit adductus, ac ſolenniter, præſente Carolo, baptizatus.

91 *Poſtremò caſtris toties exutus & armis &c.* Qvæ de viſo ab ipſo infante referuntur, qvi in ora precantium manusq; elevantium inſertus fuerit, teſtimonio ſcriptorum probatorum carent, traditiones qvippe & figmenta, cenſente *Hülſemanno*, Monachorum. *V. Fabric. l.c. p.433. & Kranzius l.c. f. 46.* Decæterò Wittikindus pro inſigni utebatur

tur pullo eqvino, eoqve ſaliente, & in priores pedes erecto.

*In clypeo ſonipes excuſſis liber habe-* 87
*nis &c.*

Ex gentis citra dubium conſvetudine. Nam & ipſa Weſtphalia ſuam ab eqvis appellationem indepta eſt. Eqvinum enim pullum Saxones ſuâ lingvâ dixére *Valen*; cùmqve Saxonum alii ultrà, alii citra Viſurgin habitarent, hi *Weſtphali*, illi *Oſtphali* fuerunt nuncupati. *V. Kranz. l. c. f. 30.* Carolus autem M. nigrum eqvum Wittekindi baptiſmo jam tincti in candidum transmutabat, non obſcurè innuens, eum à tenebris gentilium errorum ad lucem veritatis fuiſſe perductum; qvo ipſo eqvo candido & hodieq; Natio Academiæ hujus Lipſienſis Saxonica in inſigni ſuo utitur. Præter eqvum infrenem in campo rubro ſalientem, utebatur Wittekindus & tribus lunulis, ut Poëta noſter interpretatur, vel tribus foliis nympheis, ut vulgus autumat, vel tribus fibulis, ut alii opinantur. *V. Fabric. l. c. p. 440.* Qvid muneris luſtralis loco à Carolo M. acceperit in ipſo baptizationis actu, refert *Pecenſteinius l. c. f. 12.* his verbis: Der Käyſer hat ihn perſönlichen aus der Tauffe gehoben / und ihm zum Pathen-Geld die Landſchafft an der Weſer um Minden / und Magdeburg an der Elbe / item die Gegend umb Wittenberg eingebunden / zum Hertzogen in Sachſen und gantz Weſtphalen gemacht / und zum Burggrafen über Wolhin an der Sahle/

Zörwig / und den Strich herauf biß an die Elſter und Pleiße geordnet &c. Sed paulò aliter *Dreſſerus Millenarii Sexti part. II. p. 360. 361: Wittikindus*, inqvit, *provincias hæreditarias omnes recepit, Ducatum Angrivariæ, Weſtphaliæ ad Viſurgim, ad Albim Magdeburgum & Wittebergam, Wolbinum ad Salam, Zorbecum & tractum ad Elyſtrum & Pliſſam.* Mihi illud vero videtur non abſimile, Saxoniam in provinciæ formam redactam à Carolo, & Wittekindo ad religionem Chriſtianam & Regni Francici ſuperioritatem agnoſcendam jam perducto feudi loco fuiſſe datam; qvæ Faucheti, Gallici cujusdam ſcriptoris, eſt ſententia; vel Wittekindum ſplendidæ ſuarum ditionum gubernationi fuiſſe relictum, ut jus tantùm in illis diceret, ſed temporis ſucceſsû hæreditariam ſibi ſucceſſionem, propriamqve jurisdictionem, ut alii Imperatorum Comites vel vicarii præſides, acqviſiviſſe, cui poſteriori opinioni non defavet *Cl. Weiſius in Diſſert. de Carolo M. c. II. diſc. 3. §. 5.* Tractum regiminis ſic deſcribit Poëta:

102 *Inde potens latè, qvà Lupia, qvà pater errat*
*Albis aqvis ---*

Sed qvi ex tot bellis incolumis felixqve redierat Wittikindus, in bello tandem atroci ac diuturno, qvod cum Geroldo, vel, ut alii, Nothardo, Svecorum duce, incertum, qvâ causâ geſſit, obiit, vel ut Poëta ait,

*Imme-*

*Immemor annorum ſeniiq́; oblitus, in* 106
*hoſtem &c.*

*V. Fabric. l. 4. p. 439. & 440. Kranz. L. 2. c. 24. Cruſ. in annal. Svev. l. 1. p. 2. c. 2.* Qvo anno autem, menſe ac die obierit, pronunciare, tacentibꝰ Hiſtoricis, non licet. Illud autem in comperto eſt, Wittekindum Angariæ in templo à ſe ſtructo tumulatum, & Paderbornam poſteà abs Heinrico Aucupe cum tumba & corpore fuiſſe translatum. Epitaphium ejus Angariæ obſervatum tale eſt, idq́; à *Peccenſteinio l. c.* & *Reinero Reineccio, f. 72.* in appendice ad methodum legendi hiſtorias, memoratum:

WIDEKINDUS REX SAXON.

*Oſſa Viri fortis, cujus ſors neſcia mortis,*
*Iſte locus munit, euge bone, ſpiritus audit;*
*Omnis mundatur, hunc Regem qvi veneratur,*
*Ægros hic morbis cœli rex ſalvat & orbis.*

Conf. *Monumenta Paderbornenſia Ferdinandi Furſtenbergii Epiſcopi Paderbornenſis* & *Monaſterienſis*, cujus doctiſſimæ notæ theſaurum qvendam antiqvitatum Saxonicarum comprehendunt. Incidit enim Wittikindus in tempora annalibus ſcribendis iniqva, aliàs vix ullo majorum Imperatorum minor futurus, ſi nactus eſſet facundos & diligentes rerum geſtarum conditores, cenſente *Bœcklero* in *Witikindo.*

*Accepit veteres Myſos.*] Miſniam accepiſſe Wi- 109



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0075-5

tekindum II. Witekindi M. filium hoc ipſò aſſerit Lotichius; idqve non invitâ veritate. Poſtqvam enim & hic Carolo M. obſeqventem ſe præbuit, & ſacris baptiſmi undis Oſterwigæ, urbe Saxonicâ, qvæ Selingſtadium poſteà ob acceptum ibi ſalutis initium appellata eſt, luſtrari ſe fecit, declaratus eſt præfectus Soraborū, & poſſeſſiones maternas (erat enim natus ex altera Witekindi M. uxore Svataná, Lechi Ducis Bohemiæ & Soraborum principis filia) Zorbecam & Budſeciam inter Salam & Albim retinuit. *V. Fabric. l. V. f. 511.* Sed illud controverſiâ non caret, an Miſnici ex veteribus Myſis ortum duxerint? Aſſerere id videas *Nauclerum*, *Willichium*, & qvi res Miſnicas ſumma cum cura deſcripſit, *Petrum Albinum in Chronico Miſniæ tit. 3.* qvibus & Poeta noſter non obſcurè adſtipulatur. Verùm Albini rationes tres, qvibus ſententiam ſuam communitum ivit, non infeliciter diruit *L. Zacharias Schneiderus in Chronico Lipſienſi p. 16. usq; ad 23. & Schmid. in Chron. Cygn. P. 1. p. 14.* Hariolari autem ſine Delio, qvod ajunt, licet, cur à Myſis, vetuſtis Aſiæ minoris populis Miſnicorum originem arceſſiverint Hiſtorici; Nimirum cùm aliæ gentes antiqvitate inter ſe certent, & ad Trojana usqve tempora, imò ad arcam Noachicam aſcendant (qva de vanitate nos alibi ex Cambdeni Britannia p. 7. & Bocharti præfatione in Canaan diſſeruiſſe meminimus) non poſtremiſſimi omnium Miſnici eſſe voluerunt. At inſtar omnium nobis eſt Tacitus, cui & omnem propemodùm Germanicæ antiqvi-

tiqvitatis memoriam debemus. Sic autem ille l. c: *Ipſe eorum opinionibus accedo, qvi Germaniæ, populos nullis aliarum nationum connubiis infectos propriam ac ſinceram, & tantùm ſui ſimilem gentem exſtitiſſe arbitrantur &c.* & paulò ante: *Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimèq́ aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos.* Neqve immeritò cum Cluvero ex Germaniæ antiqvæ L. 1. c. 3. p. 29. exclamamus: *Et tu tamen, ô infelix externæ gloriæ captator, Germane, Saxones tuos à Saſonibus vel Sacis, Cimbros à Cimmeriis, Miſnicos à Myſiis, Turingos à Tyrigetis, Cauchos à Cauchonibus, Friſios à Phrygibus aliosq́ populos neſcio unde deducis: nullis aliis documentis inductus, qvàm nudâ vocabulorum alluſione, omnibus antiqvis ſacrarum juxtà ac profanarum hiſtoriarum monumentis reclamantibus. Pudeat pigeatq́ animo te non modò patienti ferre, ſed cupienti etiam ardentiq́ qværere ignominiam & opprobrium.* Huc usqve Cluverus. Et ex Myſis qvidem qvid laudis in Miſnicos redundare qveat, vel proverbium, *Myſorum ultimus*, indicio eſt. Denotari enim hoc ipſo ſolet homo abjectiſſimæ ſortis & planè nullius pretii, teſte Tullio pro Flacco ſic dicente: *Qvid in Græco ſermone tàm tritum atq́ celebratum, qvàm ſi qvis deſpicatui ducitur, ut Myſorum ultimus conſtituatur? Conf. Cœl. Rhodigin. lect. antiq. l. XX. c. 14.* Cæterùm unde id nominis acceperit Miſnia, ex *Ditmaro* Epiſcopo Martisburgenſi & ſeculi X. poſt C. N. ſcriptore ſat liqvet, qvi urbem ad Albim ab Heinrico Aucupe

conditam, Miſnamqve appellatam fuiſſe ſcribit, à qva tota poſtideà regio indepta eſt nomen, qvemadmodum & aliæ provinciæ iisdem, qvibus primariæ urbes, nominibus hodieqve gaudent. *Conf. Dreſſ. l. c. p. 448.* Deſcribitur autem Witekindi II. regio à Pliſſina ſeu Pliſſa, Elyſtro & Sala tribus fluviis ex Variſcia ſeu terra Prætoria, hodiè Voigtlandia, huc influentibus; qvorum Sala unus eſt ex qvatuor illis in faſtigio montis piniferi oriundis, & inde in qvatuor mundi plagas non ſine naturæ miraculo qvodam ſe dividentibus; de qvibus & hi Conradi Celtis, primi inter Germanos poetæ laureati, verſus merentur annotari ex *Germania ejus generali de tribus jugis & montibus Germaniæ:*

*-- Ingenti dorſo ſtans pinifer atrum*
*Tollit in aſtra caput liqvidoq; à vertice, mirum,*
*Qvatuor ad mundi fundit vaga flumina partes.*
*Mœnus in occiduum feſtinat currere Rhenum,*
*Et Sala, qvi Druſi geſtat præclara trophæa,*
*Algentes petit Albis aqvas; Nabus exit in Auſtrum,*
*Egra ſed Eoos flectit ſua cornua in ortus,*
*Et ſecum Hercyniam trahit alto vertice ſylvam.*

113 *Inde vetus ſponſo genus.*] Scilicet cum *Witekindus II.* ternam ex *Juglanda* Comitis Rochli-

cen-

cenſis filia ſuſceperit ſobolem, *Fridericum*, qvi cœlebs obiit, *Witekindum III. & Ditgremum*, ex Ditgremo Marchiones Miſniæ deſcendunt, è qvibus & ſponſus *Johannes Wilhelmus* Dux Saxoniæ. *V. Chytræus in Saxon. lib. 2. p. 50.* ex *Witekindo III.* in Galliam profecto Reges Galliæ hodieqve regnantes. Nepos enim Roberti ex *Witekindo III.* nati fuit Hugo Capetus, cujus familia per annos ſeptingentos ad clavum regni Gallici ſedet. Qvodſi verò ad *Wernekinum* Witekindi M. parentem aſcendas, non Capetingenſem tantùm & Saxonico-Wetinenſem ſeu Ditgremicam familiam, ſed & Saxonico-Wigbrechtinam, Montisferratenſem item in Italia, Sabaudicam in Allobrogibus, & Ringelheimicam ſeu Oldenburgicam deſcendere inde deprehenderis. *V. Schurtzfleiſch. in Witekindo M. §. 14. & notis ei ſubjectis.* Qvod nec Poëta noſter diſſimulare voluit, qvando & Comitum Oldenburgicorum, & Othonis III. mentionem facit. Ita autem res habet. Wernekinus Sigardi nepos duos habuit filios Brunonem & Witekindum M. Ex Brunone natus dicitur Wigbertus, ex Wigberto Walpertus Dux Angriæ & Comes Ringelheimiæ; ex hoc Theodoricus, Comes itidem Ringelheimiæ, ex Theodorico Reginbertus, ſator Comitum Oldenburgicorum, ex qvibus hodierni Reges Daniæ deſcendunt. *V. Hamelman. præfat. in Chronicon Oldenburgenſe à ſe ſcriptum & Spenerus in Genealog. pag. 35. & 110.* Atqve hos intelligit poëta per Heroas:

-- *qvi*

*-- qvi præſtantes virtute ſub Arcto*
*Juſtitiæ rigidis gentes & legibus æqvis*
*Formârunt primi vitæ melioris ad uſum.*

Wigberto autem præter Walpertum & Bruno fuit filius. Ex hoc natus Ludolphus, Dux Saxonum, ex Ludolpho Otto, ex Ottone Henricus Auceps, Rex Germaniæ electus, ex hoc Otho M. Imperator. Atqve hinc Poëta:

*Hinc qvoq; (ſi fratrum ſpectes à ſangvine Magnus Otho --- ſtirpem)*

Nec abs re id verborum ſubjungit:

*Hic vir, hic eſt, cui veſter honos, cui gloria veſtra;*
*Imperiiq́; decus fuit, & Germania curæ.*

Tametſi enim Caroli M. virtute Imperium Roman. trans Alpes evolârat, poſt Ludovici tamén II. & Caroli Calvi Regis Galliæ obitum variis civilium motuum fluctibus ac procellis fuit agitatum, imò poſt debellatum fraude ac venenis Arnulphum tantùm non prorſus ſublatum. Sed incomparabili Germaniæ Regum, Othonis potisſimùm, fortitudine Imperii axioma ſplendori priſtino reſtitutum, dignitasq́ve Imperatoria in filio continuata, in nepote tandem æterno qvaſi fœdere cum Germanici regni dignitate maritata eſt. Cùm enim Italos, & eorum cumprimis Conſulem Creſcentium ætas Othonis III. deſpecta & libertatis priſtinæ ardor in arma detruſiſſent, ſumptum de eo ſupplicium eſt, & à Gregorio V. homine Germano & Othonis agna-

agnato in Imperatorem coronatus Otho, conſtitutumqve pariter conſentientibus Romanis & eorum cive primario, Pontifice, ut, qvem ſibi eligendo deinceps Regem feciſſent Germani, hunc & Imperatorem haberent Romani. Et verò ab eo usqve tempore Imperatoria dignitas cum Regis Germaniæ titulo, inſolubili velut nexu cohæſit, nec à regno Germanico, rumpantur ut ilia Gallis, avelli potuit. *V. Conring. de finibus Imper. c. IX. Bœclerus in rebus geſtis ſeculi IX. & X. & qvidem in Othone I. p. 297.* & *Nicolaus Martini Profeſſor Kilonienſis in Libertate Aqvilæ triumphante c. IV. & V. p. 59. & ſqq.* Ad Witikindum II. poſtliminiò qvaſi ut revertamus, is Wittebergam condidiſſe, deqve ſuo nomine Witkindiburgum ſive Wittiburgum dixiſſe perhibetur. *V. Fabric. l. V. p. 511.* Et rectiùs hanc urbem Witteburgum qvaſi Wittii caſtrum, qvàm Wittebergam qvaſi album montem, vel, ut Pirckeimerus, Mattheſius, aliiqve vocitant, Alborin, Leucorin, montem Albanum dici, vel inde patet, qvòd nulli circa illam, ſi colliculum Apollensberg excipias, montes conſpiciantur. *V. Sennertus in Athenis Wittebergenſibus p. 2. & D. Zangerus in Oratione ſeculari.* Sed à Witikindo II. hoc extructam denominatamqve hanc urbem eſſe, vix eſt, ut aſſentiamur, qvin viris potiùs jam citatis accedimus, ſtructuram urbis Witekindo M. tribuentibus. Cùm enim eâ fini fuerit condita, ut contra Soraborum Miſniam tùm tenentium incurſiones eſſet propugnaculum, qvis non laudem exſtructionis Witekindo

kindo M. relinqvendam eſſe videt? Erat eqvidem & Witikindus II. Soraborum præfectus, ſed poſt patrem, & ſecundùm ὑπομνήματα nondum biennium; Deinde adminiſtrante hoc Witekindo pacata & qvieta erant omnia, nec ulla defectionis ratio vel ſuſpicio, Sorabis qvippe jam domitis & diuturno Parentis Imperio manſvefactis. *Conf. Ludovicus Perſona JCtus Wittebergenſis in Oratione ſeculari.*

119 *Date thura Duces, date manibus aras.*] Othonis M. qvi Imperium Rom. cum regno Germanico indivulſo nexu qvaſi confibulavit, mentionem faciens Poëta, apoſtrophe hâc utitur ad Principes Germaniæ, eosqve, ut beatos Othonis hujusce manes ſolenni parentationis ritu venerentur, monet. Id enim honoris genus per *thura* & *aras* deſignatur. Thus certè tanqvam ſacer fumus ceremoniis plerisqve omnibus adhibebatur; unde Virgil. l. 1. Æn. de Venere:

*--- Ubi templum illi centumq; Sabæo*
*Thure calent aræ.*

Sed aræ qvoqve ſepulcrales extruebantur tùm viris principibus, tùm aliis, qvi divi credebantur, parentibus putà, liberis & conjugibus. *V. Gutherius de Jure manium l. 1. c. 19.* Faciebat iſthoc Andromache in anniverſario Hectoris ſacro,

*Quæ geminis cauſam lacrymis ſacraverat aras;*

& Aneas, cùm patrē Anchiſen humo mandaviſſet,

Ex

*Ex qvo relliqvias diviniq́ue oſſa parentis*
*Condidimus terrâ, mœſtasq́ue ſacravimus aras.*

Qvi gentilium ritus, qvemadmodũ & alii plurimi, in Romanam Eccleſiam per traducem qvaſi qvendam deincipe tempore tranſierunt; Nam & incenſum thuris Miſſæ hodieq́; adhibetur, & altaria Sanctis numero non exiguo deſtinantur. *V. Nic. Hunnius in Apoſtaſ. Rom. Eccleſ. p. 286. 315. 569. & 648.* qvo poſtremo loco & hæc verba addit: *Gentiles aras dicârunt demortuis hominibus, idem faciunt hodiè Pontificii; & præter illos nemo prorſus, ut continuatus defluxus hujus mali ex Ethniciſmo in Papiſmum negari haut poſſet ullo prætextu.* De poeta autem noſtro qvid dicendum? Paganus profectò aut Papanus videri poteſt, dum Othoni M. thus accendendum, arasq́; exſtruendas eſſe cenſet. At is nec Deaſtrorum Gentilium, nec Sanctorum Papalium eſt cultor, γνησίως qvippe Lutheranus h. e. verus Chriſtianus. In carmine interim non ſacro, ſed feſtivo & ludicro cum Poëtis Ethnicis, Virgilio maximè, impunè loqvitur. Nam hunc locum Virgilii diligenter eum verſâſſe, etiam illud documento eſt, qvòd ſuprà de convivantibus priſcis Germanis pronunciabat:

*-- -- -- magnâq́ue ſepultos* 77
*Voce ſalutabant Reges animasq́ue vocabant.*

Sic enim & Maro de parentante Ænea lib. IV.

*Vina-*

*Vinaq́ fundebat pateris, animamq́ vocabat*
*Anchiſæ magni, maneſq́ Acheronte remiſſos.*

Evocabatur autem à Gentilibus anima, qvia circa cineres obverſari aliqvantisper, evocariqve adeò poſſe credebatur; Qvam & cauſam eſſe Jul. Cæſar Scaliger exiſtimat, cur lucernæ olim in antiqvorum ſepulcris fuerint poſitæ; poſitas qvippe innuens non pro cineribus, ſed pro animabus, ne tenebras perpetuas pati in cryptis ſubterraneis cogerentur. *V. Fortun. Licetus l. 1. de reconditis antiqvorum lucernis. Conſ. Gutherius l. c.* & *Boſius in Roma ſubterranea l. 1. c. 18. f. 56. & ſeqq.* ubi inter alia & Mæviæ cujusdam teſtamentum refertur, in qvo cautum, ut ſervus & famulus libertatem eâ conſeqverentur conditione, ſi monumento illius alternis menſibus lucernam accenderent & ſolennia mortis peragerent. Qvod morem parentandi attinet, eſt & ille apud nos uſitatus, ſed ita, ut non niſi illuſtribus viris deſtinetur & die emortuali revoluto memoria illorum ſolenni oratione recolatur; qvod honoris genus in templo Academico hodienum tribuitur Electoribus Saxoniæ de hac Alma immortaliter meritis, Mauritio, Auguſto, Chriſtiano I. Chriſtiano II. & Johanni Georgio I. & Joh. Georgio II. qvibus & nos

*--- tenuem & ſine pulvere terram,*
*Fragranteſq́ crocos & in urna perpetuum*

apprecamur.

*Tiagri-*

*Tiagrinus & ædes.*] Ditgremus per hunc 124 denotatur, Witikindi II. filius, Comes Wethini, Burggravius Zorbeciæ & Dominus Budſeciæ. Hic barbarorum abrogâſſe idolatriam populosq́; in pace rexiſſe à poëta h. l. celebratur; qvod eo de tempore intelligas oportet, qvo Othoni Duci Saxoniæ reconciliatus ditionem ereptam recuperavit. Cædem enim fratris Friderici, qvi ob tributum vicinis Saxonibus per agrum ſuum digreſſis impoſitum oppreſſus armis fuerat, ulturus, magnas multasq́; Saxonibus fecit injurias. Sed cùm abs Othone Duce Saxoniæ & Henrici Aucupis Patre ditione ejiceretur, ad Dalemincios, gentem toti Saxoniæ infenſiſſimam confugit; qvos tamen conjunctis poſtmodùm cum Othone armis & ditione receptâ perqvam ſtrenuè infeſtavit. *V. Fabricius lib. V. f. 313. & Reuſner. l. c. f. 25.* Fuerunt autem Dalemincii Slavi ſeu Venedi non minùs, qvàm Sorabi, ſitu tantùm ab his & incolatu diſcriminati. Nam Dalemincii terras inter Albim & fluvium Deleminci, Slavicè Glomaci dicti, tenuerunt. *V. Detmarus in Chron. Martisburg. pag. 1.* Sorabi verò eam Miſniæ partem, qvà à Mulda ad Salam usqve ſeſe exporrigit, Sorabiam inde & Sorbiam nuncupatam. *Vid. Schneiderus in Chron. Lipſ. p. 12. & 13.* Cæterùm, qvos Otho cum Ditgremo infeſtavit, Dalemincios Henricus Auceps, Othonis filius, debellavit planè ac ſibi ſubjugavit. *V. Detmarus l. c. & Witikindus*, monachus Corbejenſis, primusqve gentis Saxonicæ hiſtoricus *l. 1.* cujus hæc de

Henrico ſunt verba: *Tali lege ac diſciplinâ cùm cives asſvefaceret, repentè irruit ſuper Slavos, qvi dicuntur Hevelli, & multis eos prœliis fatigans demum hieme aſperrimâ caſtris ſuper glaciem poſitis, cepit urbem, qvæ dicitur Brennaburg, fame, ferro, frigore. Cumq; illâ urbe potitus & omni regione, ſigna vertit contra Dalmantiam.* Per Dalmantiam intellige Daleminciam, qvæ & Dalmatia à Sigeberto Gemblacenſi & Abbate Urſpergenſi corruptim appellata eſt. *V. Schneider. l. c. Conf. Sagittarius in Hiſtoria Luſatica §. 15. & Schurzfleiſch in de Marchia Miſnenſi,* ubi inter alia & hoc notat, Henricum Aucupem per Marchiam Miſnenſem Milzenos, qvi cum Daleminciis uno atqve eodem gentis Sorabicæ per Miſniam diffuſæ gaviſi ſunt nomine, ſubegiſſe feliciter ac ſuæ ditionis feciſſe. Qvorſum & verſus iſti ſpectant ab incerto qvodam Germanico Poëta imagini Henrici hujus ſubſcripti, atqve à *Melchiore Goldaſto in Comment. de rebus Bohem. l. 2. c. 3. allegati,* qvibus ita loqvens Rex ille Germaniæ repræſentatur:

Wend/ Dän/ Sorb/ Böhmen/ Marcomann/
Dalmantz macht ich mir unterthan.

Conf. *Diſputatio hiſtorica M. Georg. Krügeri de Serbis, vulgò* den Wenden/ *Wittebergæ Anno 1657. habita ſub fin.* & qvæ eodem ibidem anno ventilata eſt, *Diſp. M. Joh. Friderici Herzbergeri de Henrico Aucupe Imperatore, in evolutione theſ. II. ſub fin.*

123 *Militat in ſylvis.*] Tetmarus ſeu Ditmarus

Dit-

Ditgremi filius à Sigeberto Gemblacenſi, Witikindo Corbeienſi & Conrado Urſpergio tanqvam princeps diſciplinæ militaris peritiſſimus celebratur. Hujus bellicoſitatem colligere nobis vel ex eo licet, qvòd à primis annis venationi vacârit, ſeu in ſylvis, ut pulchrè Poëta loqvitur, militaverit. Eſt enim venatio εἴδωλον τȣ͂ πολέμȣ h.e. ſimulacrum belli, dicente *Oppiano l. 4. Halievt.* imò progymnaſma qvoddam, qvod corpori non tantùm robur addit, ſed & homines ad bellicæ militiæ ſimilitudinem diſponit, adſtipulantibus Platone, Cicerone, Plinio juniore, Sidonio Apollinari, & Symmacho, qvorum hic *l. 5. ep. 66.* Saluſtio, qvi in bello Catilinario venationem ſervile officium vocat, velut in os contradicit. Qvibus ex recenſioribus ſeſe adjungit ſapientiæ priſcæ conſultiſſimus *D. Heinſius l. 3. de contemtu mortis p. 306.* ubi Martis pullis inter militaria præexercitamenta & venationem Heroico cothurno commendat; & *Buchnerus*, os illud facundiſſimum, in Panegyrico Johanni Georgio I. dicto *p. 131. Eſt*, inqviens, *venatio qvidam qvaſi Martius ludus, Scholaq́ȝ bellorum, ubi adoriri oblatum hoſtem ac perſeqvi, excipere invadentem & ſuſtinere, qvin ſupervenire & ex inſidiis impudentem opprimere non joculari, ſed ſeriâ meditatione addiſcitur, ſimulq́ȝ & exercetur ad aptam virilemq́ȝ audaciam animus, & corpus ad patientiam laborum ac tempeſtatum confirmatur.* Conf. *Green. de ruſticat. veter. l. 1. c. V. p. 60. Iſaac Schockius in Centur. problem. q. LXI.* & excell. *Menckenius in Diſp. de*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0087-2

*jure circa venationem c. XI.* Nec aliâ fini venationi operam dabat Ditmarus, qvàm

*-- ut melius (ſi qvando bella vocarent)*
*Imbribus Hercynioq; gelu duratus & æſtu*
*Militiæ poſſet duros perferre labores.*

Et qvotus qvisqve ignorat, ſummos Reges atqve Principes eodem venationis genere nullo non ævo fuiſſe delectatos? De Trajano *Plinius c. 81. Olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur: Certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cùm callidis aſtu &c.* De Mithridate ſimile qvid refert *Juſtinus l. 37. c. 2.* De Domitiano *Svetonius c. 19.* De M. Antonino Philoſopho *Capitolinus*, de Alexandro Severo *Lampridius*, de aliis alii. Conf. *Spangenberg.* im Jage-Teufel *p. II. c. VIII.* At enim ut res optimæ qvæqve deturpari per abuſum ſolent, ita venatio qvoq; non tàm commodare ſubditis, qvàm incommodare per efferatam licentiam cœpit. Et in ſacris qvidem venatores jamdiu ſordent, putà Cham, Lamech, Ismael, Eſau, & præprimis Nimrod, qvem omnium tyrannorum & principum generalem titulum facit *Lutherus Comment. ad Geneſ. f. 135.* Jamqve diu eſt, cum *Hieronymus in Pſal. 90.* dixit, penitùs in ſacris non inveniri ſanctum aliqvem venatorem. *Conf. Balthaſ. Bonifac. in Hiſt. Lud. l. 2. c. 40.* Abusûs venationis vanos recenſet *Petrus Tholoſanus l. 39. artis mirab. c. 1. p. 293. &*

*Span-*

*Spangenberg. l. c.* ubi velut in tranſitu notandum, hunc Spangenbergium ab *Iſ. Schockio l. c.* falsò inter eos, qvi venationem dedecere principes aſſeruerunt, numerari. Apertè enim ab initio profitetur, ſe nihil qvicqvam Principibus derogatum velle, nec aliud qvid qvàm fœdos venationis abusûs taxat, cæterà inſignem ejus uſum mirificis laudibus commendans; Qvod & Tholoſanum feciſſe videas poſt recenſitos venationis abusûs ſic dicentem: *Nolim tamen qvis mihi ſuccenſeat veluti probibenti omninò venationem; non enim prohibendam cenſeo temperatam & neceſſariam &c.* cujus temperamentum & noſtrum facimus.

*Militiæ poſſet.*] Militavit autem poſt hæc bellica progymnasmata Ditmarus pro Heinrico Aucupe, cùm in aliis bellis, tùm in eo potisſimùm, qvo Hungari in agro Martisburgenſi feliciſſimè ſunt debellati. *V. Fabric. & Reuſner. l. c.* Conf. *Brotuffii Chronicon Martisburgenſe l. 1. c. 15. & 16.* ubi non prælium duntaxat cum Hungaris commiſſum prolixiuſculè deſcribitur, ſed & Principes atqve Comites, qvi eidem interfuére, longâ ſerie referuntur. Vivis excesſit plenus gloriæ & celebritatis Anno C. 940. reliqvitqve præter Dedonem, qvi ludis eqveſtribus propè Magdeburgum interfuit, filium Dietericum ſeu Theodoricum, qvi Boleslao Bohemiæ Duci tùm Miſniam vaſtanti cum Rochlizenſi & Wurcinenſi Comitibus pro virili ſe oppoſuit, imò & prælio illi contra Ungaros propè Martisburgum commiſſo cum patre interfuit. 137

*V. Peccenſtein. in proſap. Witikindeæ famil. fol. 4. 6.* Poëtæ ſi credas, idem Theodoricus ditionibus ſuis adjecit Thuringiam, ſeu pingves glebâ campos, *qvà flumine pulchro*

140 *Advena fœcundos Unſter perlabitur agros.*

Aſt dormitantem Homerum egiſſe h. l. Lotichium, facilè nobiſcum advertet, qvi Hiſtoriam Witikindei ſtemmatis fixioribus paulò oculis perluſtraverit. Thuringia enim non Theodorici hujus tempore, qvi anno 985. floruit, ſed Henrici demum II. Anno 1249. ad Marchiones Miſniæ pervenit. Hic enim Henricus primus familiæ ſuæ Landgravius Thuringiæ extitit. Rectiùs igitur verba ſuperiùs allegata qvadrant in Theodoricum III. Henrici hujus patrem. Nam hic ductâ in matrimonium Judithâ Hermanni Landgravii Thuringiæ filiâ jus Landgraviatûs Thuringiaci, Landgravio ſine maſcula prole extincto, ad filiam transmiſit. Sed ecce novum Lotichii ἁμάρτημα ἱστορικόν! Dedonem Theodorici filium, pro Cæſare bellum gesſiſſe ait adverſus Hunnos,

152 *Omnia cùm ferro tumidi propè flumina Salæ*
*Sterneret, & caperent vix mœſta cadavera ripæ.*

Sed falsò. Dedo enim inter præcipuos duces non Heinrici Aucupis, ſed Ottonis III. contra qvem anteà Anno 985. militaverat, fuit numeratus. Intereſſe

certè

certè pugnæ ad Salam Anno 922. contra Hungaros commiſſæ cum avo Ditmaro non potuit. Vixit enim & Henrico II. imperante, & anno 1009. in conflictu à Beringeri Ballenſtedenſis Marchionis cognomine filio confoſſus. *V. Fabric. & Reuſner. l. c.* Eqvidem & Otho Hungaros profligavit, ſed Otho I. non III. dein ad Lycum profligavit, non ad Salam, ita qvidem, ut ex eo tempore Germaniam infeſtare non auſi ampliùs fuerint. Aperta itaqve Lotichii ἀνιςορησία eſt. Qvæ de Theodorico II. v. 153. & ſeqq. refert, qvòd in Italia videlicet militaverit (nam Arnus Apenninigena non abs re dictus fluvius Italiæ eſt) qvo ex Hiſtorico hauſerit, ignorare, nunc qvidem, me fateor. Eum autem cum Henrico II. à qvo & Comitatum Ileburgenſem & Marchiam Landsbergenſem impetravit, abiiſſe in Italiam, ibiqve egregia fortitudinis ſpecimina edidiſſe, verò perqvam eſt aſſimile.

*Mirati ſtupuère Hunni.*] Hunnorum ſi in- 149
veſtiges originem, jam à Ruſſia, jam à Paſcatiris, mox à Tartaris accerſi eam videas. Id autem extra dubitationis aleam eſt poſitum, eos in frigidis Septentrionum oris oriundos eſſe, atqve adeò non aberrari magnopere, ſive à Ruſſis, ſive à Paſcatiris ſive à Tartaris deducantur. *V. noſtras ad Hunnii Orbem Imp. notas p. 131.* Scytharum autem ſurculus fuerunt haut dubiè, qvibus & Scythæ ſuas id temporis, cùm Henricum Aucupem adorirentur, copias auxiliares conjunxére. Nam

*Potantes Tanain, gelidiq́ Boryſthenis undas,*

non alii ſunt, qvàm Scythæ , Tanais, fluvii Europam ab Aſia diſterminantis & Boryſthenis accolæ, hodiè Tartari Deſtenſes & Præcopenſes dicti. An Hungari iidem ſint cum Hunnis, dubitatum à multis eſt, oſtenſumq́; ab *Aventino lib. IV. Annal.* Hunnós tùm ab Hunnis Attilæ, tùm ab Avaribus Chacani planè eſſe diverſos. Fuit tamen Ugrorum & Ungrorum nomen Caroli M. tempeſtate non incognitum, teſte *Eginhardo in vita Caroli M. Vide Horn. in Arca Noæ pag. 141.* Aliàs qvinqve Hunnorum excurſiones numerantur, qvarum prima eſt Attilæ, ſub initium ſeculi V. poſt C. N. ſecunda Juſtiniani, Juſtini, Tiberii & Mauritii tempore, tertia ſeptem Ducum A. 744. qvarta , qvæ Arnolpho imperante, qvinta, qvæ Henrico Aucupe & Othone I. faſces imperii tenentibus contigit. Veſtigia horum adhucdum comparent paſſim in Germania. Nam tractus ille ad Moſellam & Vogeſum Hundsrück / item, Caſtelhun/ Hunolſtein/ Hundsheim/Hunenborn/Hundsrode &c. id nominis non à canibus, ſed ab Hunnis retulerunt. *V. Becmann in hiſtor. Orbis terrarum Geograph. pag. 199.* Sed de Hunnis ſatis. De Theodorico II. refert Lotichius, qvòd Arnum fluvium Italiæ, qvi in dextro Apennini latere oriens per Florentiam & Piſam, multis aliis adauctus fluviis in mare decurrit, fractis cornibus contuderit. Ubi id obſervare pretium operæ eſt, cornua fluviis plerisq; à Poëtarum filiis tri-

tribui. Ita enim Statii vetus Scholiaſtes ad Thebaidos *lib. IV.* ubi *fluvius corniger undæ* diciter: *Omnia flumina antiqvitas cum cornibus fingebat; qvæ noxia procurſu & temerè incurrunt, atq; damna conficiunt.* Alii autem cornua de fertilitate, reſpectu ad Cornu copiæ habito; alii de ſono, qvod cornutorum videlicet animalium inſtar mugiant, interpretantur. *V. Barth. ad Statium Tom. II. p. 1288. Conf. Idem Tom. III. ad Statium p. 654.* ubi cornua fluviis idpropter tribui dicit, qvia, ubi oriuntur, flumina pluribus rivis confluentibus confluere ſolent. Legendus autem præter cæteros *Cœlius Rhodiginus lib. 17. c. 33.* cujus hæc verba non poſſum non annectere: *Compertum eſt non ſolùm divinis cultos nominibus fluvios, ſed & iconas illis ac ſimulacra dicari freqventer conſveſſe, verùm non modi unius, ſiqvidem ἀνθρωπομόρφους* h. e. *humanâ eos ſpecie effinxere nonnulli, qvibus bubulam alii effigiem induxerunt. Unde βούκρανον Acheloum in Trachiniis vocat Sophocles,* h. e. ταυρόκρανον &c. & poſt pauca: *Auctor in Deorum natura Phornutus, fluvios effingi plerosq; κεραςφόρους καὶ ταυρῶπας ex undarum violento impetu, qvi mugitibus aſſimile inſonet qviddam &c.* ubi & aliorum, cur fluviis cornua aſſignentur, rationes ex Sophoclis Scholiaſte ſubjungit ſic dicens: *Taurinæ formæ rationem poſuit Sophoclis interpres, qvòd veluti boves flumina terram proſcindant,* vel *qvòd fluviis ferè adjacent paſcua.* Cæterùm fluvios tanqvam homines cornutos pingi fingiq; fuiſſe ſolitos, ex ſcul-

ptura Amethyſti luculenter oſtendit *Barthius in Commentar. ad Claudiani Panegyricum Probinianum p. 53.* qvem vide.

163 *Nec te magne Thimo.*] Hic Thimo Dieterici II. tertiò genitus fuit filius, & ditionem ejus ſi ſpectes, Marchio Landsbergenſis, qvi ob homicidium qvoddam domi commiſſum in aulam Heinrici IV. ablegatus ob inſignia virtutis documenta aulæ præfectus, imò & Ecberto, Marchione Miſniæ in molendino 1090. interfecto, Marchio Miſniæ, in præmium navatæ in tot bellis operæ fuit deſignatus. Sed dum gratam animi mentem Imp. pro tanto beneficio approbaturus arcis cujusdam oppugnationem nimis urſit, erumpentibus ex ea præſidiariis acerrimè pugnans cecidit. Atqve hinc *Fabricius lib. 1. de Marchionibus Miſniæ:*

*Accipiens latam ditionis fertilis oram,*
*Promeruit titulos auctus honore novos,*
*Non tamen ille diu parto gaviſus honore*
*Oppetit, & ſævo preſſus ab hoſte cadit.*

Marchiâ igitur Miſnenſi ad filium Conradum ſic fuit devoluta, qvem & Lotharius Imp. non Miſniæ tantùm, ſed & Luſatiæ Marchionem poſt Wiperti cognati mortem confirmavit. *V. Fabric. in orig. l. V. p. 536. & ſeqq.* Idem Conradus *Locupletis* ob terrarum amplitudinem (erat enim Marchio Luſatiæ, Miſniæ, Oſterlandiæ, Landsbergæ, Burggra-

gravius Zorbecæ, Comes Wetini, Leiſnicii, Brenæ, Ileburgi, Grozæ & Rochlicii) & *Magni* ob res in Italia, Vandalia & Aſia geſtas nomen retulit. *V. Reuſner. in ſtemm. Witikind. f. 28.* Ex fratris teſtamento Cœnobium Lauterbergenſe (Montis Sereni latinè dictum) qvod hodiè Divi Petri appellatur, religiosè perfecit, multaq; ei prædia tùm de ſuis, tùm de uxoris Lutgardiæ bonis addixit. *V. Chronicon Montis Sereni ſive Lauterbergenſe à Joh. Joach. Madero editum p. 2. & ſeqq.* Qvin & ipſe, defunctâ uxore diviſisqve inter filios ditionibus, monachum induit, inqve eodem monaſterio Lauterbergenſi naturæ conceſſit, cujus & hodieqve ſepulcrum renovatum ibidem cum aliorum Miſniæ Marchionum monumentis oſtenditur. Fuit enim domus ſepulturæ S. Capella templi Lauterbergenſis, qvæ de cœlo tacta ac deuſta ex parte fuerat, reparata ab Electore Saxoniæ Auguſto; qvando autem conflagratio illa contigerit, verſus lapidi inciſi docent;

*Dum Saccr Auguſtus Gothanam deſtruit arcem,*
*Sacra hæc deſtructa eſt fulminis igne domus.*

*Conf. Maderus præfat. Chronici jam dicti, pag. 24.* Cæterùm non Thimo demum & Conradus, ſed & ante illos Dietericus I. aliis, aliis Fridericus qvidam primus Marchio ab Henrico Aucupe dicitur conſtitutus, eâ videlicet tempeſtate, qvâ ad rivum Miſnæ

næ Marchiam Miſnenſem adverſus Bohemos, Vandalos Hunnosq; condiderit. *V. Peccenſtein in proſap. famil. Witikind. f. 4. 6.* Unde & diſtinctio enata inter Marchiones Miſniæ anteriores & poſteriores, ſeu antiqviores & recentiores. Conf. *Reinerus Reineccius in Genealogia, Ditmari Martisburgenſis Chronico* à ſe edito annexa, ubi eos è Ditmaro ſummatim repetiit, & deinde ad Conradum usqve Thimonis filium deduxit. Verùm cum ea ſententia dubitationibus & contradictionibus non unis ſit expoſita, rectiùs primus Miſniæ Marchio conſtituitur Thimo, vel Conradus potiùs, qvi Marchiâ Miſnenſi ſolenniter inveſtitus eam ad poſteros, imò ad hodienum ſuperſtites Electores ac Duces Saxoniæ propagavit. *V. Chron. Miſn. Petri Albin. tract. 15. & Auguſtinus Brunnus in Triade Electorali politica p. 136.*

*Hinc Otho civili præcinctus tempora qvercu.*] Othoni ſecundogenito Cunradi filio, civilem qvercum h. e. coronam civicam tribuit Poëta, cum Virgilio ſic loqvens, & ad morem Romanorum veterum reſpiciens, qvi inter dona militaria & coronas benè de patria meritis diſtribuebant. *V. Gell. l. V. c. VI.* Corona autem civica ingentis præ cæteris erat ornamenti, qvippe cui aureæ, murales, caſtrenſes & roſtratæ poſtferebantur. Erat enim id proprium coronæ civicæ jus, ut perpetuò geſtare eam poſſet, qvi ſemel acceperat, ludosq; ineunti à populo & Senatu univerſo aſſurgere-

geretur; jus item ſpectandi inter Senatores, & munerum vacatio ſibi, patriq; & avo paterno. *V. Plin. l. XVI. N. H. cap. 4.* Civica appellabatur corona, qvia eam civis civi, à qvo ſervatus fuerat in prælio, tanqvam teſtem vitæ ſalutisq; perceptæ dederat, eaqve facta erat ex qvercina fronde. *V. Gell. l. c.* qvod & Claudianus expreſſit in Panegyr. III. ad Stiliconem:

*Mos erat in veterum caſtris, ut tempora qvercu*
*Velaret, validis fuſo qvi viribus hoſte,*
*Caſuram potuit morti ſubducere civem.*

Et in Panegyrico Olybrii:

*Sæpe duces meritis bello tribuere coronas,*
*Hunc cingit muralis honos, hunc civica qvercus*
*Nexuit.*

Qvinam è Romanis coronam civicam, vel, Poëta ut loqvitur, civilem qvercum acceperit, noctium Atticarum ſcriptor recenſet *l. c. Alexander item ab Alexand. Genial. dier. l. 4. c. 18. & Tiraqvellus in annotat. p. 165. & ſeqq.* Nos de eo nunc diſpiciamus, cur, cives qvi ſervârunt, non aliâ qvàm qvernâ coronâ inſigniti olim fuerint? Gellius enim ex qverna fronde fieri ſcribit, qvoniam cibus victusqve antiqviſſimis qvercus capi ſolitus ſit. *Plutarchus* qvæſt. Rom. ſuis id ζητήματος etiam inſerit: *Cur eum, qvi civem ſervâſſet, coronâ donabant qvernâ?* & mox iſthæc ſubjicit: *an qvod ubiqve copia*

in

*in expeditionibus eſt qvercus, & qvidem nullo negogotio? aut qvia Jovi & Junoni ſacra eſt iſta corona, qvibus Diis urbium tutelam adſignant? aut priſca eſt hæc Arcadum conſvetudo, qvibus aliqva eſt cum qvercu cognatio? Primi enim hominum è terra nati creduntur, ſicut qvercus inter ſtirpes prima.* Boxhornius in *animadverſ. ad has Plutarchi Rom. qvæſt. p. 143.* ingenio ſuo indulgens qvercum adhibitam conjicit, vel qvòd ſtabilis & duraturæ gloriæ indicium eſſet, vel qvòd redivivam qvaſi integritatem priorum hominum cum glandibus veſcebantur, denotaret. Nobis ea inter Plutarchi conjecturas ſe approbat, qvòd qvercus Jovi Servatori ſacra fuerit. Civis enim civem ſervans, Jupiter ejus ſervator, vel ei ſimilis videri poteſt. Aliàs non tàm ad materiam, qvæ levis utiqve eſt, & per qvam ærarium non laborat, ſed tùm ad judicium dantis, tùm ad meritum accipientis in diſtributione præmiorum id genus reſpiciendum. Et benè Boxhornius l. c. *Ex qvercu coronam qvivis ſibi nectere poterat, ſed ſi publica judicia donandam cenſerent, inſtar omnium habebatur.* Parile qvid cenſendum de corona obſidionali. Nam ea, qvamvis ex viliſſimo gramine confecta eſſet, coronis tamen cæteris, imò & civicæ anteferebatur. Ita enim Plin. l. 22. c. 3. *Corona nulla fuit gramineâ nobilior in majeſtate populi terrarum principis, præmiisqve gloriæ gemmatæ, aureæ, vallares, murales, roſtratæ, civicæ, triumphales poſt hanc fuére.* Ad qvæ verba *Boxhornius in ſuis qvæſt. Rom. c. 30. p. 107. Atqvi,* inqvit,

inqvit, *unde ſit, ut tantus honos & tanta autoritas ſurdis & ignobilibus rebus, utpote herbis perhibeatur? Verùm* (ſic enim pergit) *hoc non vim herbæ demonſtrat, ſed ſymbolum tuendæ majeſtatis, in cujus conſervatione ſalus eſt Reipubl. Nam ex arce gramen ſimul cum ſua terra evellebatur, in qvo nota patrii ſoli, in qvo nutriti & educati ſumus, & in qvo eſt qvoddam principium noſtræ originis, tùm etiam initium qvoddam humationis & ſepulcri &c.* Cæterùm uti Othoni diviti coronam civicam attribuit Lotichius, ita infra v. 259. Johanni Conſtanti coronam muralem aſſignat:

*Muralem qvernam meruit de fronde coronam.*

Et rectè qvidem muralem aſſignat. Nam cùm Maximilianus I. in Hungaria militaret, in oppugnatione Albæ regalis 1490. inter primos conſcendit mœnia, coronamqve idpropter muralem deportavit. Minimè autem qvernam. Muralis enim non qverna erat, ſed aurea, & pinnis qvaſi muri decorata. Sic enim Gellius loco ſuperiùs citato: *Et muralis, & caſtrenſis & navalis fieri ex auro ſolent.*

*Ditibus argenti venis æriſq; ſcatentem Friebergam.*] Civilem qvercùm *Othoni diviti* 169
cur tribuerit Lotichius, Fabricii verſus nos docent, in vita ejus poſt bella qvædam enarrata ſic pergentis, lib. I. de Marchionibus Miſniæ:

*Hinc Otho compoſitâ civilia commoda pace*
*Curat, & amiſſas ſarcit & auget opes.*

*Argen-*

*Argenti reperit Sudeto in monte metalla,*
*Nunc ubi Freibergum nomina clara tenet.*

Ita enim Otho non cives tantùm ſuos ſervavit, ſed & ditavit pariter, ditiſſimus ipſe factus, unde & *divitis* cognomentum eſt indeptus. Fuit autem illa metallifodinarum Freibergenſium inventarum occaſio. Auriga qvidam Goslarienſis ſalem in Bohemiam devehens lapidem in illis montibus reperit argenti plumbiqve fertilem, eumqve domum reverſus monſtravit ſuis civibus. Hic lapis in exploratione feraciſſimus argenti deprehenſus metallicos Goslarienſes & Zellerveldenſes mox ſtimulavit, ut velut agmine facto ad radices montium Sudetorum ſe conferrent, & in viſcera terræ penetrantes fructum ex metallis copioſiſſimum caperent. Qvos cùm & princeps Otho haberet qvàm liberaliſſimè, conditum hinc oppidum eſt, Freibergum poſtideà nuncupatum. *V. Fabricius lib. V. Orig. p. 556. Petr. Albin.* in der Berg-Chronick. *Tit. 1. p. 13. & Joh. Bocerus in epico carmine*, qvod *Freibergium in Miſnia* inſcriptum eſt; ubi narratio de prima metallorum inventione ſic concluditur:

*Deerat adhuc nomen: largis ſed copia venis*
*Cùm fluxit, tantis hinc conſona nomina rebus,*
*Et Deus, & famam traheret laudemq; perennem,*

*Fri-*

*Fribergum indigenæ claro te nomine dicunt,*
*Libera de foſſis qvaſi ferres munera terris,*
*Nec tibi difficili fluerent indagine venæ.*

Præter Freibergam & *Philyres excelſam urbem* h. e. hanc Lipſiam condidiſſe *Otho dives* h. l. perhibetur. Sed non tàm condidit, qvàm mœnibus circummunivit unà cum oppido Thuringiæ Iſenberga. Lipſia enim jam à Sorabis Anno 926. ex pago in oppidulum transformata, & valido ſepimento, imò & macerie fuit circumdata. Sed deſtructa poſtmodùm ab Henrico Aucupe, Soraborum expulſore. Reparata ſenſim donata eſt Ditmaro Epiſcopo Martisburgenſi ab Henrico II. Imp. ad qvem, extincto Comite Eſico, reciderat. Ita enim habent verba diplomatis Imperatorii Anno 1021. dati: *Merſeburgenſi Eccleſiæ unum oppidum Lipsk nominatum, ſitum inter Aleſtram, Pliſſinam & Pardam fluvios cum omnibus pertinentiis ſuis donamus. V. Schneider. in Chron. p. 83.* Epiſcopus deinceps Mersburgenſis Maingothus acceptis à Conrado, vel ſecundùm plures, ab Othone divite arcibus lociſq; aliis, hanc Lipſiam ei ceſſit, à qvo non ampliata tantùm, ſed & muris, prout jam dictum, obmunita eſt. *V. Schneider. l. c. p. 84. & Heidenreich in Chron. Lipſ. pag. 38. 39.* qvo tempore eadem inſignia ex Miſnico & Landsbergico compoſita, Leonem videl. nigrum in flavo campo unà cum duabus trabibus cœruleis

abs Othone accepit. *V. Sibmacheri* Wappenbuch *p. 1. p. 221. Dreſſerus Iſagog. Hiſtor. p. 1. de Lipſia p. 351. Hæpingius de jure Inſignium c. 6. p. 7. n. 1112. & Spenerus de Inſignibus Saxon. p. 20.* De qvibus inſignibus Joh. Förſterus celeberrimus qvondam Academiæ Wittebergenſis Theologus, abs Hæpingo *l. c.* allegatus, ſic cecinit:

*Solis ut & cœli color omnes ante colores,*
*Pulchrior atq; Leo fortior ante feras:*
*Sic qvoq; tu, Philyre, reliqvas Miſneidos urbes*
*Antevolas famæ nobilitate tuæ.*
*Te Leo de Juda clypeo tueatur Olympi,*
*Confirmetq́; tuas perpete pace trabes.*

170 *Inter Hamadryadas Philyre.* ] Philyres mentionem cùm fecerit Lotichius, epiſodium qvaſi inſibulare illi placuit de Philyre in arborem commutata. Nam epiſodia ſubinde à Poëtis ſunt inſerenda delectationis gratiâ, docente ex Ariſtotele *D. Rappolto in poëtica Ariſtotelicâ p. 123.* Narrat autem Philyren Hamadryadum ſororem, venationi circa fluvium Elyſtrum fuiſſe deditam, ſed in ſomno abs Paſtore qvodam defloratam, cùmqve ob virginitatem expugnatam mœrore contabuerit, abs Terra matre in Tiliam ex commiſeratione fuiſſe commutatam; atq; hinc tot Tilias propullulâſſe ad Elyſtrum, à qvibus & urbs, qvæ Lipſia nunc audit, nomen ſuum acceperit. Figmentum poë-

poëticum nemo non agnoſcit, qvod poëta ἐπισοδικῶς ad jucundandum lectorem inſerere pro licentia ſua voluit. Illud autem extra fictionem eſt poſitum, qvòd Lipſia non aliunde nuncupata, qvàm à Tiliis fuerit. Neqve enim Leipzig dicitur à duobus pagis, Leib & zig in unam vocem coalitis, qvæ paſſiva, ſed falſa eſt traditio; neqve qvaſi Liebes-Eck oder Lebens-Eck/ qvod Joh. Werneri, Calviniani cujusdam Doctoris, erat ſvave ſomnium, ſed à Slavica voce Lipzk/ qvæ tilietum ſeu tiliam ſignificat. Ita enim vocatur in Chronico Detmari Martisburgico, & vetuſtisſimis qvibusqve monumentis. Nec aliter hæc urbs qvàm Lips dicitur, in eximio carmine Hermanni Buſchii ſub initium ſuperioris ſeculi in laudem ejus ſcripti & ſcholiis à Philippo Noveniano illuſtrati; ita enim exorditur:

*Sylvas, antra, lacûs, florentia paſcua, fontes,*
*Frugiferos & agros & Dædala rura, ſitumqve*
*Lips formoſa tuum, moresq; & clara virorum*
*Pectora, nunc verſu facili deſcribere conor.*

Cujus Buſchii meminiſſe h. l. vel ideò libuit, qvòd Lipſienſem hanc Academiam primus ante Richardum Cocum, Petrum Moſellanum & Joachimum Camerarium à fœda barbarie liberatum iverit.

Nam anno 1506. ex Erphurdia huc profectus Ciceronis epiſtolas, Tibulli & Propertii carmina & Aldi Manutii Grammatica Commentaria publicè ſumma cum laude expoſuit. Unde & Joh. Sturius auditorum unus ſic ad eum:

*Barbara qvæ qvondam fuerant Lipſenſia tempe,*
*Nec niſi barbaricam docta ſonare chelyn;*
*Jam nunc Aoniis certant Hermanne Camœnis,*
*Et redolent Latiam te duce Calliopen.*

& Chriſtian. Bojarius in publico carmine:

*Barbara qvæ fuerant, hic fecit regna latina,*
*Caſtalidos Lipſis hoc duce potat aqvas;*
*Ergò canendus erit meritoq; colendus honore,*
*Qvo duce barbaries peſtis acerba ruit.*

*V. Herman. Havelmannus in vita Buſchii*, qvæ eſt inter opuſcula varia de Weſtphalia *à Joh. Goës. 1668. edita p. 44. & 45.* Sed ad Lipſiam ipſam redeo, qvæ uti à tiliis accepit nomen, ita Philyre qvoqve & Philyrea appellata eſt, à Græco videlicet vocabulo Φίλυρα h. e. tilia. Appellationis autem hujuſce cauſa haut dubiè fuit tiliarum tùm temporis in his locis extantium copia; cujus rei vel pagus proximus, isqve poſt Sorabos conditus, Lindenau docu-

cumentum eſſe poteſt. Accedit, qvòd Venedi ſeu Slavi ſub tiliis cùm Deaſtris aliis, tùm Flinzio maximè in hoc tractu ſacrificabant. Nam eopſe loco, qvo ſita nunc eſt Lipſia, Flinz, horrendæ formæ idolum, cadaveri non abſimile, longo pallio circumdatum, manu baculum ſuperius ardentem, in humero ſiniſtro leonem erectum tenens. *V. Peccenſt. part. 3. thatr. Saxon. in 1. deſcript. Urb. Lipſ. & Heidenreich in Chron. Lipſ. p. 36.* Sacras enim tilias exiſtimabant Slavi; qvæ opinio & tàm altas in animis illorum egit radices, ut qvamvis idololatriâ valere juſsâ Chriſto dediſſent nomen, templa tamen pleraqve in tilietis conſtituerint, aut propè templa tilias plantaverint, cujus rei hodieqve veſtigia in pagis qvàmplurimis licet advertere. *V. Schneider. in Chron. Lipſ. p. 81.*

*Inclitus hinc atavi Theodricus.*] *Othonem divitem* excepit filius natû minor *Dietericus* ſive *Theodricus*, Comes Weiſenfelſ. qvem pilam fortunæ non præter rem dixerimus. Fuit enim vexatiſſimus princeps, belliſqve atqve inſidiis tàm externis, qvàm domeſticis valdè agitatus. Nam præter, qvòd à Fratre poſſeſſione agrorum atqve oppidorum communium ejiceretur, ab Henrico VI. Imperatore, qvi metallifodinis Freibergenſibus tùm temporis longè fructuoſiſſimis inhiabat, mirum qvantum premebatur. Prætermittimus reliqva in Originibus Fabricianis aliiſq; hiſtoricis de eo ſat fusè memorata. Illud autem nobis Lipſiæ degentibus prætereundum *h. l.* non eſt, qvòd muros de- 187

ſtruxerit Lipſicos hic *Dietericus*, capiſtrumqve civibus libertate ſuâ nimis inſolenter uſis injecerit. Conjurârant enim in eum nonnulli tùm ex nobilitate Oſterlandia, tùm ex civibus Lipſienſibus, ferroq; incautum & nihil tale qvid opinantem tollere deſtinârant. Conjuratione hâc proditâ per biennium illos, ſed fruſtrà, oppugnavit; tandem adhibito ſtratagemate, & opitulante Frid. II. Imp. ad obſeqvium illos reduxit. Deſtructis mœnibus tria antenaſalia, ut Oldenburgenſis in Notitia Imperii vocat, h. e. tria caſtella extruxit, unum juxta portam Grimmanam, qvo in loco nunc templum Paulinum eſt, alterum, ubi ædificatum eſt templum ac cœnobium Franciſcanorum, & tertium ad Pliſſam, idqve ab Electore Mauritio ſuperiori ſeculo ex fundamentis inſtauratum, ac Pliſſoburgum à præterfluente fluvio denominatum. *V. Fabric. l. c. p. 567. & Heidenreich in Chron. Lipſ. p. 43.* Præter caſtella hæc & cœnobium Divi Thomæ extruxit intra mœnia Lipſienſia pro Canonicis Regularibus Anno 1222. qvod poſt reformationem in Scholam, qvæ hodieq; Thomana dicitur, transmutatum eſt. Tandem è tot malis eluctatus *Infelix medici bibit atrâ fraude venenum.* Qvem ad facinus hoc perpetrandum centum argenti marcis vel conjurati qvidam vel domeſtici ipſi contraxerunt; *V. Fabric. l. c.* Ei ſucceſſit *Henricus* filius natu minimus, princeps magnificentiâ, ſapientiâ & liberalitate nulli ſecundus, & meritiſſimo ſuo *Illuſtris* atqve *Munificus* cognominatus. Hic primus è Marchionibus Miſniæ fa-

factus eſt Landgravius Thuringiæ, ex Juditha qvippe Hermanni, Landgravii Thuringiæ filia progenitus. De jure autem ſucceſſionis cum Sophia Brabantina contendere neceſſe habuit. Hermannus enim præter Juditham Dieterico Marchioni Miſniæ nuptam Heinrici hujus matrem duos filios genuerat, Ludovicum ſcilicet, Sophiæ Brabantinæ patrem & Henrici Brabantini avum; nec non Henricum, Regem Romanorum. Ludovicus in Palæſtinam profectus Hydrunti in Apulia, qvam *extremam Japygis oram* Poëta vocat, vitam poſuit. Hæres igitur ex aſſe factus eſt *Henricus* Frater, Rex Romanorum à nonnullis principibus electus. Hoc ſine hærede mortuo inter Henricos duos, Miſnenſem & Brabantinum de hæreditate qvàm acerrimè diſceptatum eſt. Sed poſt novennale bellum ſic tandem inter *Henricum* hunc & *Sophiam Brabantinam* transacta res eſt, ut filius hujus, qvi *Henricus Puer* & *Infans* communiter dicebatur, totâ Thuringiâ cederet, propriam verò perennemq; Haſſiam poſſideret; qvo tempore & ſua *Henrico* qvoad Thuringiam ſtabilita eſt poſſeſſio, fœdusq; pariter notabile illud inter principes cognatos de reciproca ſucceſſione initum. *V. Fabric. l.c. p.584.* qvanqvam pactum defenſionem tantùm, non etiam mutuam ſucceſſionem ſpectâſſe *Limnæus aſſerit lib. IV. de Jure publ. c.6. n.161.* Obtentâ Thuringiâ & pace undiqve partâ, metallisqve Freibergenſibus florentibus ludos eqveſtres Nordhuſæ obſtupeſcendo cum apparatu exercuit. Erat enim arbor

ex argento poſita cum foliis aureis atqve argenteis. Ex ea, ſi qvis haſtam concurſu fregerat, folium argenteum, qvi alterum de eqvo dejecerat, aureum porrigebatur. Inde choreæ ductæ & convivia agitata per dies aliqvot, & hoſpitibus varia diſtributa ſunt munera. Diviſis inter filios ditionibus (*Alberto* enim Thuringiam, *Dieterico* Oſterlandiam, & *Friderico* præfecturam Dreſdenſem aſſignavit) extinctus ſeptuagenarius eſt Dreſdæ A. 1288. ſepultusqve in veteri Cella, ubi & patris Dieterici exuviæ Anno 1212. fuerunt depoſitæ. *V. Fabric. & Reuſner. l. c.*

198 *Edidit effigiem belli.*] Cùm progymnaſmata belli ſint non una, primum omnium antiqviſſimumqve eſt venatio, qva de ad verſ. 132. qvo *militaſſe in ſylvis Detmarus* dicebatur, nonnihil adnotavimus. Huic, antiqvitatem ſi ſpectes, ſubjungendus venit *Trojæ ludus*, qvem pulchrè deſcripſit Virgilius, & ab Aſcanio Albanisqve ad Romanos tranſiiſſe docuit. Sic enim is lib. V:

*Hunc morem, hos curſus, atqve hæc certamina primus*
*Aſcanius, longã muris cùm cingeret Albam,*
*Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos:*
*Qvo puer ipſe modo, ſecum qvo Troia pubes,*
*Albani docuere ſuos; hinc maxima porrò*

*Acce-*

*Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem:*
*Trojaq́ nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.*

Solebant autem ad ludum Trojæ majores minoresq́ve pueri deligi, & per illos ſimulacrum qvoddam belli ad explorandam claræ ſtirpis indolem repræſentari. *V. Rappolt. ad Horat. pag. 479.* qvi mos ne nunc qvidem in deſvetudinem abiit, in aulis qvippe Regum ac principum bellicoſorum hodieqve agitatiſſimus. Tertium inter prælusiones bellicas locum occupant *Torneamenta*, à Gallica voce *turnoyer* h. e. circumire ſic dicta. Hæc inventa communiter dicuntur ab Henrico Aucupe, circumferturq́ve diploma, qvo leges & privilegia ludorum eqveſtrium ſeu haſtiludiorum, qvæ & torneamenta vocant, continentur. Refert illud præter *Reuxnerum* im Thurnierbuch *Münſterus in Cosmograph. lib. III. ac Germ. f. 745. & Goldaſtus in* in Reichs-Satzungen *p. 1. f. 4. & 5.* ſed diploma illud ſuppoſitium ac ſpurium eſſe *Bœclerus* nos docuit *in Henrico Aucupe p. 263.* Cùm enim ſolius Reuxneri teſtimonio id opinionis invaluerit, & ne γϱὺ qvidem de legibus torneamentorum, qvi res geſtas Henrici Aucupis deſcripſerunt, commemorent, de rei veritate non abs re dubitatur; præſertim cùm Witikindus, vetuſtiſſimus rerum Saxonicarum ſcriptor non primum, ſed eminens ſaltem ludorum eqveſtrium exercitium Henrico Aucupi attribuat.

*Conf. noſtras ad Horn. Orbem Imp. notas pag. 24.* Aliàs celebriora torneamenta in diverſis Germaniæ urbibus celebrata referuntur XXXVI. ab anno videlicet 935. usqve ad annum 1487. *V. Münſterus l. c. Zwinger. in theatro vitæ humanæ vol. 24. fol. 4043. & Hoffmann. in lexico univerſali, in voce Torneamenta.* Sed prætermiſſa qvædam eſſe *Joh. Gvilerus in deſcriptione hiſtoriæ Rhæticæ l. 8.* rectè contendit. Omiſſum certè, ut de aliis nihil jam dicamus, hoc noſtrum eſt, qvod Northuſæ Henricus illuſtris inſtituit, illuſtriſſimum certè, & tabulis perennivivæ memoriæ præ aliis inſcribendum. Qvâ autoritate, Cæſareâne an propriâ hos ludos indixerit Henricus, non ſatis conſtat. Jus indicendi primum competere Imperatori tàm certum eſt, qvàm qvod certisſimum; torneamenta ſiqvidem non tantùm ab Henrico Aucupe, ſed & Conrado II. Henrico III. & Henrico VI. indicta legimus. Verùm & alios Imperii principes, qvibus id privilegii abs Imperatore indultum eſt, indicere poſſe nil dubii eſt. Saxones indixiſſe exemplis nonnul-oſtendit *Limnæus*, ſed num ſuo jure id fecerint, animi incertus. *V. Limn. Enucl. lib. 3. cap. 31.* Indultu autem Imperatoris hos ludos fuiſſe inſtitutos vel exinde colligas, qvòd Imperatoris Friderici II. filia Margaretha, qvæ poſteà Alberto Henrici Imp. filio deſponſata eſt, illis interfuerit. Sed in re dubia nihil certi aſſerimus. Cæterùm cur poſt annum 487. torneamenta id genus publica ceſſaverint, non immeritò qvis qværat. Sed cauſam venari de faci-

facili mihi licet, ſi uſum illorum expirâſſe poſt pulveris pyrii & tormentorum bellicorum inventionem cogitemus. Exercentur tamen hodieqve in aulis Regum ac principum, qvoties vel nuptiæ illuſtriſſimarum perſonarum vel Onomaſteria celebrantur, torneamenta qvædam, qvæ Germanicè vocantur das Ring-rennen/ das Fuß-thurnier/ das Ballion-Rennen/ it. Qvintan-Rennen/ de qvibus videatur *Reuxnerus* im Thurnier-Buch & *Franciſcus Modius in Pandectis triumphalibus.* Conf. *Joh. Ottingerus in deſcriptione Germanica nuptiarum illuſtrium Würtenbergenſium A. 1609. celebratarum à p. 101. usq; ad finem.*

*Margaris, inde ſati Fridericus.*] Ita eſt. 211
Conjugem felici fato nactus eſt *Albertus Henrici illuſtris* primogenitus *Margaretham Frid. II. Imperatoris* filiam, cumqve ea dotem Aldenburgi & terræ Miſnenſis, nec non præfecturas Coldicenſem & Leiſnicenſem. Sed tantum abeſt, ut eo, qvo fas, amore uxorem tàm celſæ proſapiæ, tantarumqve virtutum proſeqveretur, ut vitæ potiùs ipſius inſidiaretur amore pellicis Kunigundæ inflammatus. Verùm monita illa à mulione ad contorqvendum illi collum jam conducto ſibi fugâ conſuluit, & poſt paulò mœrore luctuqve confecta in monaſterio Francofurtenſi obiit. Ex hac nati ſunt *Fridericus* & *Dizmannus*, qvorum prior non *Fortis* tantùm ob bella ſtrenuè geſta, ſed *Admorſus* qvoqve eſt appellatus, à morſu videlicet, qvem tanqvam materni amoris veſtigium Margaretha mater abitum matu-

rans

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0111-7

rans in malis illius reliqverat. Hi educati ſunt à patruo *Dieterico*, Marchione Miſniæ (pater enim nihil paterni in eos habebat animi, *degener* ſuo merito hinc dictus) eidem in Miſnia, Oſterlandia & Luſatia ſuccedebant. Qvas ditiones cùm aſſerere ſibi & Apitio ex pellice ſuſcepto Pater contenderet, bellum hinc inter Patrem & Filium exarſit, qvod variâ fortunâ geſtum tandem abs Rudolpho I. Imperatore eſt compoſitum. Albertus autem filiorum odio ſemel incenſus impeditusqve à civitatibus, qvò minùs Landgraviatum Thuringiæ transferre ad Apitium poſſet, Thuringiam Miſniamqve Adolpho Imperatori 9400. florenis vendidit. Sed fortiſſimè tùm Patri, tùm Adolpho Imp. ejusqve ſucceſſori Alberto Auſtriaco *Fridericus & Dicemannus* reſtiterunt. Notabilis præter cæteras in hoc bello clades eſt illa, qvam Svevi pro Adolpho militantes apud oppidulum Miſniæ Luccaviam fuerunt paſſi. Qvi enim capti tùm fuerunt Nobiles, in patriam qvidem redierunt, ſed caſtrati ac mutilati, unde & ſcommata rythmica in eos jacta, à *Spangenbergio in Chronico Thuringico p. 319. Mollero in Chron. Freibergenſ. p. 2. f. 36. & Schmidio in Chron. Cygnenſi p. 194.* memorata. In eodem bello *Dicemannus* ipsâ Natalitiorum nocte, cùm ſacris in templo D. Thomæ operaretur, à ſicario per *Philippum Naſſovium* immiſſo ſublatus eſt, tumulatusqve poſtmodùm in æde Paulina, ubi & ſtatua ejus juxta altare adhuc viſitur, & epitaphium elegiacum legitur à Dante Aligerio Poëta Italo conſcriptum,

& ab

&ab Albino, Fabricio, Brotuſio, Manlio aliisqve repetitum. *Conf. Stepneri Inſcriptiones Lipſ. p. 13.* Obiiſſe ſub finem ejus Dicemannus dicitur A. 1280. ſed error hujus epochæ manifeſtus eſt, cùm hic Dicemanni caſus anno ſeculi ſubſeqventis ſeptimo contigerit. *V. Sagittarius in hiſtoria Luſatica §. 40.* Hoc principe Lipſiæ ſic interempto pœna ignominiæ Lipſienſibus ob principem non diligentiùs cuſtoditum fuit iſthæc, ne ſonitu cornuum, ut in aliis fit urbibus, aut horarum intervalla ſignificarent, aut ullius rei indicationem iisdem notarent. *V. Fabric. lib. V. f. 608.* Cæterùm Albertus ἀϛοργότατος pater Erfordiæ in monaſterio agens in ſumma tandem rerum egeſtate deceſſit A. 1314. Fridericus autem filius bellis omnibus feliciter confectis ditiones omnes qvietè ad mortem usqve, qvâ Anno 1326. oppreſſus eſt, gubernavit, Princeps invictæ fortitudinis & feliciſſimus Saxonicæ domûs hodieqve florentiſſimæ ſtatuminator. *V. omninò hiſtorico-politica CL. M. Seeligmanni de Friderico hoc Admorſo diſſertatio. Conf. noſtras ad Horn. Imp. notas, p. 64.*

*Mens reticere mihi.*] Eqvidem reticere ſe 216
velle Lotichius dicit tùm exulis Margarethæ luctum, tùm horrenda bella ex degenere Alberti in uxorem optimam & filios legitimos affectu nata. Bella tamen potiſſima non obſcurè deſignat, dum & Spream & Albim, & fluvios per Thuringiam dimanantes fluxiſſe ſangvine canit. Et Sprea qvidem cùm fluvius ſit Marchiæ Brandenburgicæ,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0113-8

Berlinum & Coloniam ſeparans, Latinè Svevus dictus, irruptionem illam *Woldemari* Marchionis Brandeburgici denotat, eo tempore factam in Miſniam, Luſatiam, qvo *Fridericus fortis* à tot aliis hoſtibus, Imperatore videlicet Henrico VII. Fuldano & Hirsfeldenſi Abbatibus, à Molhuſiis item, Northuſiis & Erfurtenſibus premebatur. Tùm enim Fridericus, cum fortiori hoſte ſibi primo loco agendum ratus, in Marchiam irruit, omniaqve rapinis atqve incendiis replens magnam exinde prædam retulit, ſed à perſeqvente Waldemaro & victus, & captus eſt, Nobilitatis tamen Miſnicæ ſtratagemate & mirificâ virtute liberatus. *V. Fabric. lib. VI. f. 632. Conf. Auguſtin. Brunnius in Triade Electorali politica p. 226.* Per *Tyrigetum flumina ſangvine fluentia* bella intelliguntur Thuringica uno plura, atqve illud qvidem cùm maximè, qvod Thuringiæ per aliqvot annos ab Adolpho Imperatore fuit illatum. Hic enim, cùm Thuringiam jure emtionis abs Alberto degenere impetrâſſet, fortiterqve ſibi reſtituros filios ejus, *Fridericum ac Dicemannum* intelligeret, vi bellicâ aſſerere illam ſibi viribus omnibus allaborabat. Sed inferior in præliis plerisqve omnibus diſceſſit, in illo cumprimis ad Luccam commiſſo, in qvo Svevi tàm ignominioſam experti ſunt cladem, ut hodieqve malè acceptorum fortuna talis adagialiter dici ſoleat, qvalis Svevorum ad Luccam fuerit. *V. Fabricius f. 620. Brunnius l. c. p. 225. Conf. Chron. Cygn. P. 1. p. 204.* Sed qvinam *montes* illi *Hercinii*, unde flumina in Thu-

Thuringicos campos dilabuntur? Hercinii jugi partes variè fuiſſe appellatas v. g. Taunum, Melibocum & Sudetos &c *Cluverus* de Geograghia meritisſimus *lib. III. de German. antiqv. c. 18.* nos docet. Verùm hic montem Hercinium intelligi, qvi Brunſwicenſem Ducatum à meridie claudens in hunc usqve diem der Hartz dicitur, nemo non advertit. Exinde enim fluvii qvidam dimanant in Thuringiam, ſeu, ut poëta loqvitur, in *pingves Tyrigetum campos*. Ubi non abs re, ferente ſic occaſione, qværas, an Tyrigetæ iidem ſint cum Thuringis, vel hi ab illis ſint oriundi? Ajentem hic, qvod mireris, agit *P. Albinus*, Hiſtoricus rerum Miſnicarum eximius *in Chron. Miſnico tit. 3.* cui & poëta noſter cum poëtis qvamplurimis gregalem ſe præbet. Sed inficiantem *Cluverus* jam laudatus *lib. 1. German. antiq. p. 29. Wolfg.* item *Lazius* & *Beatus Rhenanus* à *Schneidero in Chronico Lipſ. p. 16. allegati*, qvibus & Schneiderus ipſemet ſuum adjicit calculum, ſat prolixè ac feliciter rationes Albini confutans. Et verò cùm Tyrigetæ (qvos Tyrſagetas Pomponius Mela, Tyſſagetas Herodotus, Tuſſagetas Plinius vocat) Sarmaticus fuerint populus, ad Tanaim fluvium & Mæotin paludem habitans, non temerè affirmandum, Thuringos, qvos genuinos eſſe Germanos conſtat, ab iis deſcendiſſe. Eqvidem, qvòd Getæ cum Gothis, qvi Germani fuerunt, iidem habeantur, à gravisſimis ſcriptoribus, de Tyrigetis idemmet aſſerere non incongruum adeò videri poſſit. At Getas & Gothos

Gothos eosdem eſſe ne ipſa qvidem Svada nobis perſvaſerit. Diverſiſſimi namqve ſunt, qvamvis & nomen aſſonet, & Spartianus in Caracalla eosdem eſſe velit, *Gothi Getæ dicuntur*, inqviens. Errori interim anſam præbuit tùm nominis vicinitas, tùm qvòd loca, qvæ antiqvitùs Getæ tenuerant, tùm tenerent Gothi. Cæterùm Getarum nomen Thracicum eſt, Gothorum verò Germanicum, à *Gut* videlicet, qvod latinè bonum eſt, deductum, ipſisq; ob bonitatem & hoſpitalitatem maximè attributum. *V. Grot. proleg. ad Hiſtor. Goth.*

220 *Filius arces diruit.*] *Friderico forti* ſucceſſit filius *Fridericus macer*, ob macilentiam corporis, *gravis* ob animi vires cognominatus, qvi & tantæ gravitatis autoritatisqve inter Germanos fuit princeps, ut Rex Romanorum contra Carolum IV. fuerit deſignatus; qvod tamen ſummum honoris faſtigium ingenti animo contempſit. Ex rebus ejus geſtis primo loco à Poëta celebrantur arcium prædatoriarum, qvæ Germanicè die Raubſchlößer vocantur, deſtructiones. Ejusmodi arces jam antè everterat Pater ejus in ditione Pleiſſenſi & Miſnia. Nobiles enim propter ſylvas regioni utriqve adſitas deprædandi opportunitatem nacti latrocinia incredibili licentiâ exercuerunt. Everſæ igitur horum arces; Raſpenbergum item & Eckardsbergum in Thuringia *V. Fabric. l. VI. f. 637.* Veſtigiis hiſce inſiſtens *Fridericus Gravis* fratres Disfurtenſes primùm, Fridericum & Hermannum, qvi ex Herciniis & Weſtphalis collectâ latronum manu

latè

late graſſabantur, dein Nobiles circa Salam & Unſtrut fluvios, qvi mercatoribus è Polonia, Moravia & Bohemia per Thuringiam iter facientibus merces eripiebant; unde Fabricius de eo:

*Evertit validis latronum viribus arces,*
*Unſter, & ad ripas Salaqve lenta tuas;*

Friburgenſes deniqve Præſuli Mersburgenſi tùm ſubditos, qvi & ipſi Polonicos Sileſiosq; mercatores violenter invadebant, feliciter perſeqvebatur, omnibus capitali ſupplicio affectis & arcibus plerorumqve dirutis atqve confractis. *V. Fabric. l. c.* Latrocinia autem ejusmodi non aliunde, qvàm ex diuturnitate bellorum nata. Ita enim ad prædas & arma aſſvefacti nobiles latrocinia exercebant, utq; impunè & tantò ſecuriùs id facerent, & ſpeculas & refugia ſua in ſylvis rupibusq; collocabant, ac muniti ſſima in illis caſtella exſtruebant, vel caſtella ibi jam exſtructa in Harpyiarum receptacula convertebant. Sic caſtella in pinniferi montis verticibus exædificata in horrenda latronum latibula ſuperioribus ſeculis degenerârunt; qvippe ex qvibus & ipſis Nobiles ob perverſum vitæ genus ad incitas redacti inſidias ſtruxerunt itinerantibus, crebrisqve excurſionibus ac deprædationibus mirum qvantum ſe locupletârunt. Tales montes illius ſpeculæ fuerunt die Loßburg / Langenſtein / Rudolphſtein / Waldſtein / Hallerſtein / Carlſtein / Wolffſtein &c. ſed & hæ arces prædatoriæ tùm ab Egrano Magi-

ſtratu, tùm ab illuſtrisſimis Marchionibus Brandenburgenſibus, Alberto, Achille Germanico, & Caſimiro unà cum Nobilibus vel Nebulonibus potiùs ipſis fuerunt deletæ. *V. CL. M. Joh. Georg. Pertſchius in originibus Bonſidel. P. 1. cap. IV. p. 38. & ſeqq.* Cæterùm idem Fridericus Erfurdianis qvoqve bellum intuliſſe non citra verum h. l. dicitur. Cùm enim duo id temporis eſſent antiſtites Moguntini, Balduinus & Henricus, à diverſis factionibus electi, ab Henrici partibus ſtabat Pontifex Romanus cumqve illo Erfurdiani, cum Balduino autem faciebat Imperator viciniqve Principes, interqve illos Fridericus noſter. Hic Imperatoris nomine Erfurdienſes ad cauſam decernendam Mülhuſium vocaturus ab iisdem ceu hoſtis depellitur. Injuriam igitur hanc ut ulciſceretur, agros Erfurdienſium miſerum in modum devaſtavit, imò & urbem ipſam (hanc enim fluvius Hieras permeat) multis cædibus implevit; qvo ipſo & rebellem avum, *Albertum* videlicet *degenerem* ultus videtur Lotichio. Erfurdiani enim & ſocia illi arma junxerant contra *Fridericum* ac *Dicemannum*, & hoſpitium in exilio velut degenti ad extrema usqve conceſſerant. Nam & Erfurdiæ obiit *Albertus* A. 1314. ibiqve in primaria æde beatæ virginis fuit tumulatus. Atq; hinc Fabricius:

*Hoſpitium & tumulum dedit illi Erfordia; nam non*
*Majorum ad cineres additus ille cinis.*

*Capta-*

*Captaq; ferratis.*] Victoriam *Friderici Gravis*, qvam de Erfurdenſibus retulerat, deſcripturus Vates, eum arma hoſtium affixiſſe ferratis poſtibus ſcribit, ad veterem haud dubiè Triumphatorum morem reſpiciens, qvi & ipſi eo in loco, qvo hoſtes devicti erant, trophæa ex armorum congerie erigebant. Illuſtris præter cæteros locus eſt Taciti *l. 2.* de Germanico: *Laudatis*, inqvit, *pro concione victoribus Cæſar* (is Germanicus erat) *congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo: Debellatis inter Rhenum Albimq; nationibus exercitum Tiberii Cæſaris ea monumenta Marti & Jovi, & Auguſto ſacraviſſe. V. Alexander ab Alex. l. 1. Genial. dier. c. XXII. & Tiraqvellus in Notis ei ſubjectis p. 88. 89.* Pleraſqve triumphi Romani ſolennitates adduxit *Ovidius l. 4. Triſtium Elegia II.* ubi & valdè dolet, ſe triumpho non intereſſe de Germania reportato. Conf. *Pancirollus in novis repertis p. 628. & in illa notas Salmaſiii p. 633 ſq.* 224

*Qvartus in adverſos.*] Duo hactenus celebrati ſunt *Friderici* è Marchionibus Miſniæ, *Fortis* & *Gravis*; Hos qvartus cùm excipiat in hoc carmine, Tertius nobis ſilentii ſiparìo non eſt obvolvendus. Nimirum qvinqve *Friderico Gravi* erant filii, *Sigismundus*, Adminiſtrator Mersburgenſis, *Ludovicus* Archiepiſcopus Moguntinus & Magdeburgenſis, Epiſcopus item Halberſtadenſis & Bambergenſis, *Balthaſar*, Landgravius Thuringiæ, *Wilhelmus Cocles*, & *Fridericus Strenuus*. Ex hos

Strenuo, cui *tertii Friderici* nomen debetur, natus eſt *Fridericus qvartus* ſeu *bellicoſus*. Atqve hic eſt celebratiſſimus ille Princeps, qvi primus è Marchionibus Miſniæ ob egregia in Imperatorem merita, imprimisqve ob operam adverſus Bohemos *Sigismundo* Imperatori laudabiliter præſtitam dignitatem Electoratûs tanqvam brabéum perſpectæ fidei ac fortitudinis accepit. Hic etiam patronum perbenignum ſeſe exhibuit Muſis Academiâ Bohemicâ diſperſis & exulantibus; qvin eas cum incluto Principe *Wilhelmo* fratre non liberaliſſimè tantùm recepit, & in hac urbe ac ſede collocavit, ſed præſidiis etiam neceſſariis atqve immunitatibus ita ſepſit & exornavit, ut non ad ſeculum unum atqve alterum, ſed ad perpetuitatem ipſam comparata omnia videri poſſint. Qvam in rem plurimùm profuit *Vincentii Gruneri*, Doctoris Pragenſis, ſed patriâ Zwiccavienſis, opera, qvippe qvi facundiâ ſuâ permoviſſe dicitur Electorem, ut ſedem hoſpitiaqve profugis Muſis in hac urbe concederet, primus idpropter Theologiæ Profeſſor in noſtra Academia conſtitutus. *V. Friederich in Oratione Acad. Lipſ. ſeculari.* Conf. *Trithemius in Catalogo illuſtrium Germanorum p. 73. & Maderus in Catalogo Scriptorum inſignium Acad. Lipſ. n. 27.* Cæterùm minimè diſſimulandum hoc loco eſt, Ducatum Saxoniæ poſtliminii qvaſi jure in *Friderico Bellicoſo* ad Witikindeos rediiſſe. Ducatum enim Saxoniæ Hermanno Billingio, præteritis agnatis Otto I. contulerat, cujus in poſteritate continuatus eſt, donec

Ma-

Magnus Dux Saxoniæ ſine maſcula prole eſt extinctus. Pòſt Magnum obtinuit eum Lotharius ſupplinburgius, pòſt Imperator factus. Ab hoc conceſſus eſt Henrico Superbo, cui ſucceſſit filius Henricus Leo. Hôc ex ſententia Frid. Barbaroſſæ proſcripto, Ducatu potitus eſt, eodem Imperatore conferente, Bernhardus Aſcanius Alberti Urſi filius, in cujus poſteritate & perſtitit, donec Albertus ultimus A. 1422. orbus decederet. Ac tùm demum propter operam inſignem adverſus Bohemos navatam Electoratu Saxonico ab Imp. Sigismundo inveſtitus eſt *Fridericus bellicoſus*, qvo ipſo Ducatus Saxoniæ ſeptemvirali dignitate auctus ad Witikindeos, ut diximus, rediit. *V. Spener. in Sylloge Geneal. p. 114. & CL. M. Joh. Georg* Hahn *in diſſertatione de Electoratu Friderici Bellicoſi peculiari.*

*Egregiasq; animos pretiis.*] Scilicet Mecænates ſi ſint, Marones, cum Martiali ut loqvamur, nunqvam deerunt. Neqve enim qvicqvam ad egregias artes capeſſendas magis incendit animos, qvàm pretium h. e. liberalia Principum, aliorumq; procerum ſtipendia atqve donaria. Ingenia certè hominum non ita emarcuére hoc tempore, ut non aſpirare aliqvà ad priſcorum vel Vatum vel Philoſophorum eruditionem gloriamq; poſſint. Et cordatè *Rappoltus* qvondam meus, nunc cœlo adſcriptus, in Epiſtola Carminum heroicorum dedicatoria: *Auſim*, inqvit, *uno plures Marones orbi promittere cum Martiali, ſi, qvi ad clavum Reip. ſe-* 231

*dent*, *Mæcenatis induere perſonam*, *aut exprimere benignitatem ſuſtineant*. At cum rari hodiè appareant in aulis principum Mæcenates, qvid mirum, ad eam, qvam in veterum plerorumqve monumentis deprehendimus, eruditionem tàm paucos aſcendere? Eqvidem ſunt, qvi ſe ſuumqve ſeculum translatione tueri ſatagunt, culpam omnem in omniparentem naturam conjicientes, qvæ effœta jam & ſeneſcens, & in ſua ſenſim reſoluta principia aut neqveat ampliùs aut nolit producere, qvæ cum Demoſthenis & Ciceronis eloqvio, Ariſtotelis ſapientia, Platonis ubertate, Galeni dexteritate & felicitate, Papiniani & Ulpiani judicio, melliflua Ambroſii vel aurea Chryſoſtomi facundiâ, Auguſtini in convincendis hæreticis fortitudine & robore non dicam certare, ſed tantùm componi & comparari poſſint. Nempe omnia fatis in pejus ruere, & retrò ſublapſa referri. Verùm erroris ſententiam illam non abs re arguit *Joh. Jonſtonus* in libello ſuo, qvo invictam naturæ conſtantiam, & indeflexum per tot annos robur aſſertum ivit; qvo eodem in argumento & Lancellotum Italum & *Hauckwellium* Anglum occupatos fuiſſe accepimus. Alii non tàm naturam, qvàm ſeculi accuſant genium, parùm Φιλόμουσον & Φιλότεχνον, ſed multùm Φιλάργυρον. Et verò vetus illa qvidem, ſed veriſſima hodieq; qverela eſt:

*Ipſe licet Muſis venias comitatus, Homere,*
*Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.*

Pau-

Pauci enim pretium aliqvod ponunt literis & ſolidam in qvocunqve diſciplinarum genere æſtimant. Pauci etiam recto & conſtanti pede ſe per virtutis ad honoris contendiſſe templum aſſeverato vultu qveunt affirmare. *Nam ſi qvis fortunæ diſpenſatori Doromiſo auream Protagonis imaginem, in cujus altera parte ſcriptum ſit DECIES, in altera MILLE, obtulerit* (ex *Barclaji* ſententia loqvor *ex lib. 2. Euphormionis*) *protinùs illi gratulabitur de indole & ingenio cæterisq; virtutibus in auro iſto lectis ſibi & perſpectis, protinùs benigno Dea circumſpiciens vultu vulgo eximet, attribuetq; ſacerdotium cum tribunali; jacebit autem inter ultimos, cui vel profuſiſſimè de artificiis ſuis Muſæ diſpensârunt.* Nimirum *vix induſtriæ eſt* (verba ejusdem Satyrici ſunt in eodem libro) *in aulis regalibus locus, niſi ſi illa ſummis divitiis nitatur, & ut ſuperi DII cuncta laboribus, ita medioximi divitiis vendunt.* Nobis tamen ſub optimo Principe degentibus dicendum omninò cum Plinio ex Epiſtola VI. lib. IV: *Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine, adhuc honor ſtudiis durat.*

*Domito Fridericus Havelo.*] Intelligitur 233
*Fridericus Placidus, Bellicoſi* filius, cui cum *fratre Wilhelmo* ſatis acre & diuturnum fuit bellum. Cùm enim poſt fratris Henrici obitum Thuringiam ſibi in diviſione terrarum, reluctante fratre, elegiſſet hic Fridericus, ſic ingens diſcordia inter fratres hoſce exarſit, qvæ & in bellum, qvod dixi, annorum plurium, idqve cædibus incendiisq; ple-

num erupit. *Wilhelmo* aſſiſtebant Bohemi & Marchici, qvi Miſniam omnem miſerandum in modum devaſtabant. Sed & *Fridericus* ferro & igne per Thuringiam graſſabatur, imò ad Havelam usqve, Marchiæ fluvium, cum milite ſuo excurrebat, *onuſtusq́;* exinde *Arctoi Aqvilonis ſpoliis* (Marchia enim Miſnenſibus Septentrionalis eſt) revertebatur. Tandem autem amicabiliter id belli inter fratres compoſitum eſt, & concordia ſtabilis inita, præſertim ubi Wilhelmus fratrem non conſenſiſſe in cædem ſui intellexiſſet. *V. Petrus Albinus in Chronic. Miſn. tract. XXI. f. 258.* Expreſſit omnia breviter his verſibus *Martinus Haſſius* Poëta Luſatiæ non contemnendus, isq́ve adhuc ineditus in Electoralibus Saxonibus:

*Hic qvamvis lenis, calido cum fratre Wilhelmo*
*Acriter arreptis animo tamẽ egerat armis,*
*Sed citò projectis miteſcit providus armis.*

Ubi & hoc addit Haſſius:

*Poſt, dolor ah, factô ſubitò exercetur iniqvô*
*(Heu cadat in qvenqvam tantum ſcelus!) heu pater ambos*
*Amittit natos irati fraude miniſtri,*
*Qvos tamen aſſiduis reddunt pia numina votis.*

Nam *Friderici* hujusdem filios, *Erneſtum & Albertum*, duarum linearum conditores, *Nicolaus à Kauf-*

*Kauffung*, olim aulæ Friderici magiſter & Dux bellicus ex arce Aldenburgicâ noctu abduxit, concepto in Fridericum, qvi lytron pro ſe â Bohemis capto perſolvere recusârat, odio ad id flagitii inſtimulatus. Sed *Albertum* cùm duceret Kauffungius, captus in ſylva eſt à Carbonariis, capiteqve poſteà Freibergæ truncatus; *Erneſtum* qvoqve complices vitæ incolumitatem ſibi polliciti, ſed & ipſi partim Cygneæ, partim Aldenburgi capite plexi, reddiderunt, cujus rei in memoriam veſtes principum ſuſpenſæ in Erbersdorffenſium templo unà cum inſcriptione à Petro Albino, qvi l. c. plagium hoc Kauffungianum ex Æneа Sylvio, Nauclero, Crantzio, Munſtero, Fabricio, Spangenbergio, Brotufio aliisqve pluribus retulit, adducta. Conf. *Brunnius in Catalogo Elector. Saxon. p. 283. & Schmidius in Chron. Cygn. P. 1. p. 216. ſeqq.* Ex filiis his mirificâ Dei providentiâ conſervatis *Erneſtus* in Electoratu ſucceſſit patri, *princeps optimus, juſtitiæ tutor, pietatis corona & Regni gloria, ut à Reuſnero* celebratur. Hic præter Regulum Plavienſem in Variſcis debellatum, Polonos, Caſſubios, aliosqve externos milites à cervicibus Germaniæ arcuit, & tres Reges, *Caſimirum* Poloniæ, *Ladislaum* Bohemiæ, & *Matthiam* Hungariæ diſcordes Wratislaviæ ſummâ, qvâ pollebat, ſapientiâ & autoritate conciliavit. *V. Spener. Sylloge Geneal. p. 115.* Coldicii extinctum ad Sacellum Miſnenſe deduxit frater *Albertus animoſus*, qvorſum Marchionum Miſnenſium ſepultura è cœnobio veteris Cellæ, ubi per ducentos an-

nos duraverat, translata à Friderico parente fuerat. Ejus autem uxor *Eliſabetha*, qvod mireris, in templo Academiæ noſtræ Paulino tumulata eſt, de qva iſthæc *Joh. Manlius in collectaneis* refert pag. 469. *Qvando uxor Ducis Erneſti, boni Principis, mortua erat Lipſiæ, ubi ſepulta jacet, venit qvidam ad Principem, referens ipſi, qvendam vidiſſe mortuam conjugem ab angelis in cœlum ſubvectam eſſe. Hoc excogitavit, qvia ſcivit id fore principi gratum.*

237 *Filius armorum.*] *Erneſtus* Elector qvatuor reliqvit filios, *Albertum*, Electorem Moguntinum, *Erneſtum*, Archiepiſcopum Magdeburgenſem, *Fridericum & Johannem*, qvorum uterqve Electoratum poſt patrem geſſit. Er *Fridericus* qvidem filius ille eſt hîc loci à poëta celebratus, *Fridericus III.* & *Sapiens* meritiſſimo ſuo cognominatus. Hic pro inolita tùm religioſa vel potiùs ſuperſtitioſa conſvetudine in Palæſtinam abiit indulgentias ſibi tantò uberiores pollicitus. Hoc enim Papicolæ ut impetrent, ad ſanctorum fana, ſtatuas & reliqvias, ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, ad Mariam Lauretanam, ad S. Jacobum Compoſtellanum, & ad ſepulcrum Dominicum in Palæſtinam peregrinationes inſtituerunt. *V. Bellarm. l. 3. de cultu Sanctorum c. 8. & ſeqq. & Gretſer. de peregrinatione l. 3. c. 5. è noſtris Hunnius de Apoſtaſia Rom. Eccl. p. 29. Theodorus Meyer. in tranſenna Theologico-hiſtorica, & Joh. Pitſchius in tractatu hac de re peculiari.* Superſtitione hâc imbutus, vel gloriæ

qvid

qvid ſibi paraturus *Fridericus* Hieroſolymam longo ac difficili itinere petiit, & *nobile buſtum* h. e. ſepulchrum Chriſti, qvod *Bartholomæus Saligniaco in itinerario terræ ſanctæ cap. 6. tom. 7. & ex eo Barthol. Chaſſanæus deſcripſit in Catalogo Gloriæ mundi parte 12. p. 991.* In eadem peregrinatione luſtrâſſe dicitur *Curetida terram* h. e. inſulam Cretam ſeu Candiam, à Curetibus priſcis incolis ſic dictam, ejusqve urbes nobiliores Gordinam & Gnoſon, nec non Cyclades in mari mediterraneo ſitas, Rhodon non abs re Phœbéam appellatam, à Coloſſo Phœbi vel Solis æneo inter ſeptem mundi miracula numerato & à Saracenis tandem diruto, nec non Phœniciam & Syriam. Hinc de eo & Taubmannus, corculum illud poëtarum lepidisſimum, in carmine Acad. Wittebergenſis ſeculari:

*Laus olim palmaris erat, penetrare ſacratæ*
*Tecta Palæſtinæ, & Solymam Chriſtiq́; ſepulcrum*
*Ferre ſub aſpectum; penetravit hic, omnia coràm,*
*Sub viſum tactūq; dedit? Penderéne muro*
*Cernitis has tabulas? adverſa averſaqve Chriſti*
*Depoſiti facies, ea patrum credita ſeclo eſt,*
*Ille hanc ſuſpendit Solymorū ex orbe relatā.*

*Ille etiam dubiis.*] Si Viennæ, qvæ Auſtriæ 244
metropolis eſt, obſidionem intelligit, dormitantem
hîc

hîc iterum Homerum egit Lotichius. Tùm enim non *Fridericus*, qvippe A. 1525. extinctus, ſed frater *Johannes* ad clavum Electoralem ſedebat. Viennam autem potentisſimus ac bellicoſisſimus Turcarum Imperator Solymannus 1529. cum trecentis millibus obſidebat, ſpe avarâ Germaniam jam omnem devorans, ſed maſculè eam atqve invictè defendebat Philippus, Comes Palatinus, coactusqve adeò hoſtis obſidionem ſolvere, amisſis hominum octoginta millibus. *V. Horn. in orbe Imp. pag. 412. edit. Lipſ.* Sed fortè illam Turcarum cladem Poëta intelligit, à Maximiliano II. Imperatore illis Anno 1492. illatam. Tùm enim temporis Turcæ per Croatiam in Carniolam irruperant, & Laubachium usqve progresſi erant, incendiis, rapinis, & cædibus ſuprà qvàm dici poteſt, ſævientes. Represſi autem qvàm fortisſimè fuerunt à Maximiliano. *V. Sigismundi* von Bircken Spiegel der Ehren des Ertzhauſes Oeſterreich *p. 1047.* Sed qvòd bello illi interfuerit vel copias eò ſubſidiarias miſerit, nullus, qvod ſciam, Saxonicorum Hiſtoricorum memorat. Solus Fabricius de eo ſic cecinit:

*Pannoniis Scythicos avertit finibus hoſtes.*

Sed nec hic verſus præſenti loco ſat conqvadrat. Qvicqvid hujus ſit, non errat Poëta in deſcriptione potentiæ Turcicæ. Tenet enim Turcarum Imperator in Europa meliorem Hungariæ partem, Boſniam, Bulgariam, Macedoniam, Epirum, Græciam, Peloponneſum, Thraciam, Archipelagum cum ſuis inſulis, in Aſia & Africa id omne, qvod

eſt ab oppido Belis de la Gomera usqve ad Alexandriam Ægypti, à Brigia ad Gvagalam, ab Alexandria ad civitatem Siene &c. *V. Lanſ. in Conſult. pro Hiſpan. p. 249.* Qvid, qvòd Aſiam, Africam, Europam continuâ ſerie complectitur, & à Danubio ad Tiberim, à Lybia ad Ruſſiam usqve latè dominatur. *V. Horn. in orbe Polit. pag. 28.* Et huc ſpectat illud Walrichii à celeberrimo Boſio citatum *in diſſert. de Imperio Turcico:* Die Tůrckiſchen Keyſer pflegen an ihren weiſſen Bunt oder Tulipant drey ſchwartze Reiherfedern zu tragen / welche da hinaus gedeutet werden/ daß er ſoll ſeyn und bedeuten einen Herrn und Beherrſcher Aſiæ, Africæ & Europæ. Cæterùm *Fridericus* noſter & *Patavi muros* (h. e. Paduam, illa enim ab Antenore, Duce Trojano exſtructa traditur, & à fluvio Apono alluitur) proſtraviſſe à poëta celebratur. Contigerit illud oportet An. 1500. Nam id temporis Maximilianus I. cum Julio II. Pontifice R. Ludovico XII. Rege Galliæ & Ferdinando Catholico Hiſp. Venetos invadebat & præter alia oppida etiam Paduam occupabat, qvam tamen militum ſuorum incuriâ poſt 41. dies amittebat ac fruſtrà repetebat. *V. Bircken l. c. p. 1259. & ſeqq.*

*Patriam formidine ſolvit.*] Erat qvippe hic 237
*Fridericus* verè Fridericus h. e. pacis amantiſſimus tenaciſſimusqve princeps; qvod & Epitaphio ejus Melanchthon expreſſit his verſibus:

*Aurea viderunt hæ gentes ſecula, regni*

Dum

*Dum tibi Saxonici ſceptra tenere datũ eſt.*
*Pace frui placidâ campiq; urbesq́; ſolebant,*
*Horrenda extimuit claſſica nulla nurus.*
*Bella alii ferro, ſed tu ratione gerebas,*
*Et ſine vi victi ſæpè dedere manus.*
*Ingenio claros meruiſti ſæpè triumphos,*
*Militeq́; haud ullo fixa trophæa tibi,*
*Et pacis ſtudiis florere atq; artibus urbes*
*Contigit auſpicio, Dux Friderice, tuo.*

Sed hîc minimè prætereundum nobis, qvod ſicco pede tranſiit Lotichius; memorabilis videlicet Academiæ Wittebergenſis fundatio. Qvod enim Theſeo Athenæ, Roma Romulo, id Academia jam dicta Friderico acceptum referre habet. Nam poſtqvam harmonico Imp. Maximiliani & Septemvirûm conſenſu decretum eſſet in Comitiis ad Vangionum urbem A. 1495. celebratis, ut unusqvisqve Electorum benè conſtitutam in ditione ſua haberet Academiam, *Fridericus* ſimile qvid meditatus Wittebergam tandem A. 1502. Deo & Muſis conſecravit de conſilio Martini Polichii Mellerſtadii, qvi & primus Rector creatus eſt, & *Lux mundi*, qvod trium facultatum Doctor eſſet, appellatus; poſt Profeſſores primos, qvi partim Tubingâ (ad cujus formam & Academia fuit compoſita) partim Lipſiâ arceſſebantur, ceu Sol & Luna inter ſidera exſplendeſcebant *Martinus Lutherus*, qvi A. 1512. à Caroloſtadio, ut habent verba *Actorum Witteber-*

*gen-*

*genſium à Gottfrido* Svevo editorum, *vesperiatus* eſt, & deinceps Doctor Theologiæ creatus, Theologus poſteà ſine pari, & invictisſimus Indulgentiarum primitùs Tezelianarum, dein univerſi Papatûs oppugnator; & *Philippus Melanchthon*, Præceptor ille totius Germaniæ longè celebratisſimus. Idem Fridericus Lutherum à toto AntiChriſti regno expetitum, & ab omnibus deſertum non deſtituit, qvin ex Comitiis Wormatienſibus redeuntem Wartburgi aſſervavit, & contra anathematis Pontificii & imperatoriæ proſcriptionis fulmen conſtanter protexit atqve defenſavit. In eadem etiam urbe, qvâ Academiam condiderat, conditus in Templo Arcis, poſtqvam diuturni calculi doloribus, Lochaviæ, qvæ nunc Annaburgum dicitur, 1525, extinctus eſſet. Cæterùm nec hoc ſilentio hîc loci obnubilandum, hunc Electorem Comitiis conventibusqve interfuiſſe trigeſies, tantiqve in Collegio Electorali fuiſſe æſtimii, ut unanimi conſenſu poſt fata Maximiliani lectus fuerit Imperator, ſed delatam hanc ad ſe ſummam dignitatem reſpuiſſe, & in Carolum V. tranſtuliſſe; oblatos etiam à Carolo V. tricies mille aureos excelſo animo repudiâſſe, vetuiſſeqve, ne miniſtrorum qvispiam vel teruncium de pecunia illa acciperet. *V. Rittershuſ. in Exegeſ. Geneal. p. 111. & CL. Schurzfleiſch in Diſſert. de hoc Friderico peculiari.*

*Enſifer hinc, nec fratre minor.*] Non ſuc- 251
cedere in Electoratu Saxonico non poterat *Johannes*, eò qvòd *Fridericus frater* in cœlibatu deceſſiſſet.

ſiſſet. Gubernaculis electoralibus vix admotus compeſcere motûs agreſtes habuit. Ruſtici enim tùm temporis turbulentis Thomæ Münzeri concionibus excitati contra legitimos magiſtratus ſuos inſurgebant, conatibus ſuis id cauſæ prætexentes, qvaſi doctrinam Evangelii tueri, ſervitutemqve omnem excutere vellent; jus venandi id propter aliaqve plura, qvæ *Sleidanus l. 4.* memorat, ſibi vindicantes, gerentesqve in vexillis ſuis rotam pictam, unde hodieqve ſeditioſi homines die Rädelsführer appellantur. *V. Zeillerum in epiſt. 351 & notas noſtras in Horn. in Orbem Imp. p. 94. 95.* Illâ tempeſtate dixiſſe fertur Johannes noſter, referente ex Luthero *Burgoldenſi ad Notitiam rerum Imperii Romano-Germanici p. 1. diſc. 1. §. 19.* Gott hat mich zu einem Fürſten gemacht / daß ich mit viel Pferden reiten kan; will er mich nicht alſo bleiben laſſen / ſo will ich gern nur mit 4. ja nur mit 2. reiten. Sed auſpiciis hujusdem Johannis Electoris, cui & Georgius Dux Saxoniæ, Heinricus Dux Brunſwicenſis, Philippus Haſſiæ Landgravius, & Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis ſua auxilia junxerant, ſubito impetu (qvod ſimilitudine à Borea nubila cœlo depellente ſumtâ Poëta exprimit) oppreſſi ruſtici, & Münzerus, fax & tuba harum ſeditionum, captus & capite plexus. *V. Fabric. l. 7. f. 868. & relatio hac de re Germanica Hanoviæ edita.* Hinc, Poëtam ſi audias, *Johannes* inter primos Regalis Albæ conſcendit mœnia, muralemq; adeò coronam cum laude reportavit. Sed ὕστερον πρότερον

com-

committit Poëta, ne dicam qvid amplius. Nam illa mœniorum conſcenſio facta eſt An. 1490. cùm in Pannonia Johannes militaret Maximil. I. Imp. cui & poſteà in Italia Transpadana intrepidum ſe militem approbavit. Ruſtici autem tumultûs exorti ſedatiqve ſunt A. 1525. ſecundùm Eteoſtichon: CaptVs fIt gaLLVs, CoeVnt CVM rVre Cohortes. Illud autem non cedro, ſed cœlo ipſi inſcribendum eſt, qvòd Johannes idem, cùm cœleſtem doctrinam, qvæ Lutherana hodiè audit, ardentiſſimo amplexus eſſet animo, Confeſſionem Auguſtanam Carolo V. in Comitiis Auguſtanis A. 1530. exhibuerit, nec ullis terroribus dejici depelliqve de zelo illo potuerit. Stabat enim ibi Confeſſor hic egregius cum paucis qvibusdam eidem Confeſſioni addictis, à reliqva mortalium turba ſeparatus, & pro vera Chriſti doctrina per Lutherum reſtaurata, Pontificiæ excommunicationis & proſcriptionis Imperatoriæ terrorem & pericula totiusqve mundi odium, & Dæmonum Tartaricorũ fremitum animo prorſus invicto ſuſtinebat, cum Daniele identidem cordi ſuo id occinens: *In Domino ſperavi, non timebo, qvid faciat mihi homo?* Unde & *Conſtantis* titulum meritiſſimo ſuo retulit, qvam conſtantiam ejus *Rappoltus* noſter, moderanorum Poëtarum facilè princeps, his verſibus expreſſit in *Biduo Johanneo pag. 25.*

*Tu, cùm mœſta odiis hominum flagrabat & ira*

*Relligio, anguſtis latitans in finibus oræ*
*Saxonicæ primùm, reliqvis inviſa tyrannis,* *(orbis*
*Nil veritus Papæ inſidias, nil fulmina, in*
*Ire plagas omnes juſſiſti, & cedere nulli,*
*Infragilis, conſtans, mutari neſcius, omnes &c.*

265 *Johannes Friderice binominis.*] *Johannes Fridericus* hic varia indeptus eſt cognomenta, dictus qvippe *magnanimus, invictus, craſſus & cruciger.* Ejus epitaphium ita habet: *Joh. Frid. D. G. Electus Martyr Jeſu Chriſti, Dux afflictorum, princeps confeſſorum fidei, comes veritatis, ſignifer S. crucis, exemplum patientiæ & conſtantiæ, hæres vitæ æternæ, obdormiſcens in Chriſto migravit ex hac miſeriarum vita in cœleſtem patriam. Vinariæ 3. Martii 1554.* Cruciger autem cognominatus eſt, non ob decumamas tantùm calamitates exantlatas, ſed &, qvam congenitam habebat, igneæ & flammas de ſe in dorſo ſpargentis Crucis imaginem, qvæ nota illi & vitæ curſum haud dubiè præfiguravit. Sunt enim notæ qvædam, ut Svetonius appellat, genitivæ, ſeu, ut Ariſtoteles, σημεῖα σύμφιτα non perſonarum tantùm ſingularum, ſed & gentium & familiarum. Sic Pelopidarum humerus fuit eburneus, teſte *Hygino fab. 82.* qvanqvam fabuloſum hunc eſſe Piccartus non abs re exiſtimat *Obſervat. hiſtorico-polit. Dec. 1. c. VII.* Sic Seleucum Regem Syriæ,

Syriæ, reliqvos Seleucidas imago anchoræ, femori eorum innata, nobilitavit. *V. Juſtin. l. XV. & Auſon. in urbibus de Antiochia.* Sic apud Thebanos illi, qvi Sparti appellabantur, laureâ in corpore erant notati, nec ex Sparto eſſe, qvi id ſigni non habebat, videbatur. *V. Chryſoſt. Orat. IV. de regno & Orat. II. Juliani Imp.* qvæ eſt de rebus geſtis Conſtant. Imp. Sic Conzanorum Reges à natura omnes ornati ſunt aqvilâ nigrâ in humero, ut ex Marco Veneto obſervat *Piccartus l. c. p. 48.* cui addendus omninò *Camerarius in hor. ſucceſſ. Cent. 3. cap. 42.* Hic enim ex relatu fide dignorum hominum ſe accepiſſe meminit, certa ſigna σύμφυτα, qvæ ſtrumarum tactu curationem indicare creduntur, Regibus Angliæ eſſe impreſſa, Leonem & Coronam, qvibus alii addunt gladium. Edidit, Eliſabethâ imperante, Gvilielmus qvidam Tokerus Anglus ſingularem ea de re librum, cui inſcriptio: *Chariſſima, ſ. donum ſanationis,* qvem refutavit *Delrio in disqviſit. Mag. l. 1. c. 3. q. 3.* Exerceri verò hos actus hodieq; in Anglia, in inauguratione Caroli II. jam regnantis vidiſſe ſe ait *D. Morhofius in Principe Medico.*

*Et fortem chara pro relligione cruorem.*] 269
Compoſitâ cum hoſtibus pace bellum adverſus Proteſtantes moliebatur Carolus V. Fœdus itaqve à Proteſtantibus Smalcaldiæ initum de vi Caroli propulſanda, qvippe qvi hoc in negotio non tanqvam Cæſar conſiderabatur; qvin *bellum* inde *Smalcaldicum* exarſit, cujus de momentis Tomos

binos eosqve magnæ molis edidit *Fridericus Hortlederus.* Evenit autem, ut optimus ac religioſiſſimus Elector *Joh. Fridericus*, Proteſtantium caput in prælio propè Mülbergam (qvem locum multis magnatibus fataliter infauſtum *Fabricius rerum Miſnicarum l. 1. f. 25. & Thuanus l. 4. p. 77.* annotavit) victus in Cæſaris poteſtatem perveniret, & captus per qvinqvennium circumduceretur, Electorali etiam dignitate amiſsâ, qvam *Mauritio* conſangvineo ex linea Albertina conferri ipſus in Comitiis Auguſtanis 1547. videbat. *V. Burgold. in Notitia Imp. part. 1. diſc. 1. p. 22. 23.* In hoc arcto ſalutis exitiiqve confinio tantum abeſt, ut papali concilio ſe ſubmitteret Joh. Fridericus, ut ne ullo qvidem mortis metu revocari ſeſe à ſinceritate religionis pateretur, *magnanimus* hinc atqve *invictus* meritisſimè appellatus. Dimiſſus tandem poſt qvinqve annorum exilium ſummâ gratulatione à ſuis, à conjuge præſertim & liberis fuit exceptus, placideqve tandem extinctus Vinariæ 1554. ibiqve cum epitaphio, qvod retulimus, tumulatus. *V. Fabric. l. c. f. 26.* Ubi non ſicco planè pede tranſeundum, qvod de Carolo V. ex Thoma Stybaro & Henrico Merckelio refert *Höpfnerus in Saxon. Evangel. pag. 175. 176.* Nimirum Carolus V. abdicato imperio in Monaſterio Hiſpanico jam degens deferri ſe ſæpè in circulum illum curavit, ubi res ejus geſtæ mappis depictæ in parietibus exhibebantur, ut, qvid in expeditionibus, obſeſſionibus, aciebus alibiqve acciderit, qvos duces belli, qvos Centuriones & Eqvitum

Magi-

Magiſtros habuerit, qvibus item ſucceſſibus atqve infortuniis uſus fuerit, apud animum ſecum recoleret. Verùm ubi ad eas mappas, in qvibus *bellum Smalcaldicum & captivitas Elect. Saxoniæ Joh. Friderici* depicta erat, devenit, ingemiſcens ſuſpiransq́; dixit: *Hunc ſi reliqviſſem, qvalis fuerat, manſiſſem & ego, qvalis eram.* Progeniē JOH. FRIDERICI ſi inqviras, habuit tres filios, JOH. FRIDERICUM II. captū in Auſtriam abductū, eò qvòd Grumbachium cū complicibꝰ ſuſcepiſſet, & præfractè protexiſſet, JOH. WILHELMUM noſtrum (nam *inde ſatus fauſto conjugii fœdere Sponſus*) & JOH. FRIDERICUM III. Ex JOH. WILHELMO (nam JOH. FRIDERICUS II. qvamvis reliqviſſet JOH. ERNESTUM *in Eiſenach* & JOH. CASIMIRUM *in Coburg*, genus tamen ultra hos non propagavit) nati ſunt FRIDERICUS WILHELMUS & JOHANNES. Atqve hinc duæ lineæ ſeparatæ, *Aldenburgenſis* videlicet & *Vinarienſis*. Ex FRIDERICO enim WILHELMO ſatus eſt FRIDERICUS WILHELMUS, qvi ex MAGDALENA SIBYLLA JOH. GEORGII I. glorioſiſſimi Electoris filia CHRISTIANUM, JOHANNAM MAGDALENAM & FRIDERICUM WILHELMUM ſuſcepit, è qvibus filia nupta eſt JOHANNI ADOLPHO, Celſiſſimo AUGUSTI Adminiſtratoris Magdeburgenſis filio, filii autem in florida ætate extincti lineam hanc *Aldenburgicam* abruperunt. Qvod JOHANNEM attinet, pater is extitit octo filiorum, qvorum ſex fuerunt ἄπαιδες, reliqvi

duo WILHELMUS & ERNESTUS duas lineas novas *Vinarienſem & Gothanam* condiderunt. Ex WILHELMO *Vinarienſi* oriundi fuerunt BERNHARDUS, MARIÆ TREMOVILLIÆ maritus nunc beatus, JOH. GEORGIUS, ADOLPHUS WILHELMUS, & JOH. ERNESTUS. Ex ERNESTO *Gothano* FRIDERICUS, ALBERTUS, BERNHARDUS, HENRICUS, CHRISTIANUS, ERNESTUS, JOH. ERNESTUS. Cæterùm cùm Electoratus Saxoniæ, exauctorato JOH. FRIDERICO, ad lineam *Albertinam* ex *Erneſtina* tranſierit, non poſſum non & illam ad hoc usqve tempus breviſſimis lineis deducere. Nimirum ex ALBERTO, qvi unà cum ERNESTO ſurreptus ex arce Aldenburgica fuerat, cretus eſt HENRICUS GEORGII frater; hic filios reliqvit MAURITIUM, primum hujus lineæ electorē, ſed ſine hærede maſculo extinctū & AUGUSTUM. Hic pater fuit CHRISTIANI I. ex qvo nati CHRISTIANUS II. & JOH. GEORGIUS I. familiæ Electoralis ſtator felicisſimus (nam ἄπαις deceſſerat frater CHRISTIANUS II.) Pater qvippe JOH. GEORGII II. pii ac pacifici, dum viveret, Electoris, nunc in cœlo triumphantis, nec non AUGUSTI, Adminiſtratoris Archiepiſcopatûs Magdeburgenſis ultimi (nam poſt fata hujus nupera Archiepiſcopatus hic in Principatum tranſiit,) CHRISTIANI, Adminiſtratoris Martisburgenſis, & MAURITII, Adminiſtratoris Numburgenſis, qvorum Filii Filiæq; illuſtrisſimæ non ſunt ignorabiles. JOHANNEM GEOR-

GEORGIUM II. glorioſiſſimæ memoriæ Electorem excepit JOH. GEORGIUS III. Princeps nulli Anteceſſorum ſuorum ſecundus, nunc faſces Electorales ſumma cum prudentia gerens, nec ſuis tantùm ditionibus, ſed & univerſo Imp. Romano-Germanico fauſtum ac ſalutare qvid promittens. Hic ductâ in Electoralem Domum Saxonicam ANNA SOPHIA, pientisſimâ ac ſapientisſimâ Principe, & potentisſimi qvondam Daniarum Regis FRIDERICI III. filiâ natu maximâ duos ex ea ſuſcepit filios, JOH. GEORGIUM IV. & FRIDERICUM AUGUSTUM, Principes Juventutis planè incomparabiles, qvos dum veluti duo Helenæ ſidera, eaqve cœleſtisſimis virtutibus coruſcantia venerabundi cum toto Orbe ſuſpicimus, enthuſiaſmo qvodam Poëtico correpti non prorumpere in ſuſpirium iſthoc Elegiacum non poſſumus:

*Fulgeat in Myſiis POLLUX cum CASTORE terris,*
*Divinumq; diuſpargat UTERq; jubar,*
*Qvodq; fuit Flacco AUGUSTUS doctoq; Maroni,*
*Fellero id PRINCEPS perſtet UTERq; ſuo!*
*Ille Auguſtéos UTRIUSq; ubi ſenſerit ignes,*
*Flaccū aget, aut ipſo digna Marone canet.*

*Ad Sponſæ thalamos Hymenæa canamus.* ] 297
Sponſi hactenus celſiſſimi Majores recenſuit Calliope à *Witikindo* usqve ad *Joh. Fridericum I.* Electorem

ctorem *Crucigerum*; Nam ex hoc oriundus eſt Sponſus *Joh. Wilhelmus*. Finitâ hâc Ducum Saxoniæ enarratione Muſas reliqvas ad Hymenæum canendum inſtimulat. Etenim in nuptiis Romani æqvè ac Græci Hymenæum ſeu Thalaſſionem h. e. carmen nuptiale cantitabant. *V. Scal. lib. 3. de R. P. c. 100. & Roſin. in antiq. Rom. l. V. c. 37. pag. 691.* Erant autem carmina id genus pleraqve Feſcennina, h. e. obſcœna, laſciva & mollitie diffluentia, qvæ ſic dicta vel ab urbe Feſcennio, unde allata, vel qvod faſcinum putabantur avertere; Veteres ſiqvidem periculum à faſcino illis, qvi impenſiùs laudarentur, eſſe exiſtimantes, formulam illam *præfiſcini*, qvaſi *ſine faſcino*, ſolebant præfari. *Vide Barthius ad Claudiani epithalamion in Honorii nuptias p. 765. 766. & Laurentius in Polymath. lib. 3. p. 232.* Conf. *Gvilielmus in Veriſimil. lib. 1. c. 23.* ubi verba libera & obſcœna, qvæ in nuptiis fundebantur, *nupta* & *prætextata* fuiſſe dicta adnotat. Simile qvid hodieqve fieri in Moſcovia, teſtis eſt Olearius in Itinerar. Perſ. Sic enim ille f. 140. Wenn Braut und Bräutigam nach Hauſe gehen/ werden neben her die gröbſten Poſſen geriſſen. Sed aliorum vineta qvid cedimus? Feſcennina enim carmina nullibi freqventiora videas, qvàm apud nos meliori Chriſtianitatis luce colluſtratos. Qvoties enim nuptiæ hominum non infimi ſubſellii celebrantur, toties ſales jocosqve Feſcenninos ſpargi advertas, eosqve vel ἐμμέτρους vel ἀμέτρους; qvorum hi ſtylo Lipſienſium vulgari die Brautſuppen

(qvia

( qvia altero nuptiarum die diſtribui in prandio ſolent ) audiunt. Enimverò pudere meritò debebat Chriſtianos γνησίως tales tàm fœdæ tamqve ſcandaloſæ *vernilitatis*; qvanqvam non noſtræ tantùm, ſed & antiqvioris Eccleſiæ hæc fuit macula. Sic enim Cyprianus in de diſciplina & habitu Virginum *c. 14. Qvasdam* ( Virgines ) *non pudet nubentibus intereſſe, & in illa laſcivientium libertate ſermonum colloqvia inceſta miſcere; audire, qvod non licet dicere; obvervari & eſſe præſentes inter verba turpia & temulenta convivia, qvibus libidinum fomes accenditur, Sponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam Sponſus animatur. Qvid hîc diſcitur? qvid videtur?* &c. Præclarè igitur Scaliger de feſcennina locutione loqvens *l. c. p. 355: Malo abſtineas me præceptore, aut condias pudore liberali. Magno enim in periculo tùm famæ tùm vitæ verſatur, qvi impudicè loqvitur, atqve cujusmodi eſt oratio, talis qvoq; mens eſſe videtur.* Cui è Theologis Orthodoxis ſuccinit Salomon Geſnerus *in Commentario in Pſ. f. 831.* ſic dicens: *Cum pietate Chriſtiana conſentaneum eſt, pia epithalamia ſcribere & ſponſo atqve ſponſæ gratulari. Qvi verò vel epithalamia condere vel alioqvin novis conjugibus gratulari volunt, illi à ſcurrilibus jocis abſtineant, & ſententias ac phraſes à Spiritu S. monſtratas imitentur. Eph.* 45. 3. Sed de Feſcenninis ſatis. Ad Sponſæ illuſtriſſimæ laudes ſe accingens Lotichius Nicrum fluvium non incelebrem, qvi Heidelbergam alluit, velut

ex antro evocat, Sponſæqve genus ac majores, horumqve facta incluta recenſere jubet. (Eſt enim, ut ab initio monui, hoc Epicorum veluti proprium, perſonas ſubinde aliàs atqve alias loqventes inducere) Nec evocantem non audit Nicer, qvin

*-- lato madidum caput extulit antro*
*Cœruleus Nicer, & molli viridantia muſco*
*Tempora concutiens,*

Majores Sponſæ eorumqve res geſtas ab ætatibus ſemotis repetit. Habiti enim olim & fontes & fluvii pro Diis, à pictoribus autem & ſtatuariis tanqvam Senes muſco vel algâ coronati, in arundine jacentes, & aqvas ex grandi aliqvo vaſe effundentes. Qva de re ſcitè diſſerit Eraſmus Franciſci in dem Herbſt-Monats-Geſpräch von der alleredelſten Kunſt der alleredelſten Gemüther p. 194. Die Waſſerkunſt iſt ihres Alters halber ſo greiß und weiß wie eine Taube. Solches zu bedeuten werden die Flüße wie alte Männer gebildet / weil ſie von Alters her gefloſſen / und gleichſam gelebt / liegende in Bintzen und Waſſerröhren / unter den Armen habende ein Gefäß / daraus Waſſer fleußt. Nec aliter deſcribuntur à Poëtis; qvorum ingenti ex numero adduxiſſe hìc ſufficiat *Rappoltum* noſtrum, Poëtam nullo veterum inferiorem, in Vaticinio Elyſtri, qvod vide in *libro Heroicorum p. 128. & ſeqq.*

*Magnanimi Heroës.*] Duces populorum illorum intelligit, qvi intra Rhenum, Danubium,

Mœ-

Mœnumq́; olim conſidebant. Illi verò Alemanni dicebantur qvaſi allerley Mañ/ qvòd collectitia & miſcellanea eſſent turba *V. B. Rhenanus l. 1. rerum Germanicarum.* Qvi cùm in potentiſſimum nomen rebus maximis geſtis excreviſſent, factũ eſt, ut univerſa deinceps Germania dicta fuerit Alemannia; qvemadmodum & hodieqve Galli, Itali & Hiſpani Germanos non aliter appellant, qvàm Alemannos. Certè & hi

*Fundârunt urbes populis, gentemq́; comatam* 371
*Juſtitiam docuére ſeqvi, nec temnere Divos.*

Francorum enim potentiæ mirum-qvantum invaleſcenti invidentes tranſibant & ipſi Rhenum, Galliamq́; ab Alpibus ad oſtia usqve Moſæ victricibus armis ſibi ſubjugabant. Sunt autem horum res geſtæ pleræqve æterno ſilentio velut inſepultæ, eò qvòd Muſæ ipſis Poëticæ (nam *dignum laude Virum Muſa vetat mori*) defuerunt; qvod fatum commune cum Germanis reliqvis habuerunt; qvorum res maximæ Alexandris & Juliis non indignæ ob temporum barbariem defectumq; tùm Poëtarum tùm Hiſtoricorum cum ipſis exſpirârunt. Et hinc Poëta noſter: *Splendida ſed tenebris involvit geſta vetuſtas &c.* Fuerunt autem ( ne & hoc omittamus ) Alemanni fuſi tandem in Gallia ac profligati à Clodovæo I. Francorum Rege, qvi & poſt victoriam hanc reportatam in Chriſtianam religionem con-

ceſſit

ceſſit ab uxore Crotildi inductus. *V. Mich. Rit. l. 1. de Regibus Franc. p. 12. 13.* Et ex hac Francorum gentę genus duxiſſe ſuum Sponſa illuſtriſſima h. l. perhibetur. Enimverò & Franci non minùs, qvàm Alemanni ex variis Germaniæ populis, Bructeris puta, Chamavis, Anſivariis, Cheruſcis & Celtis fuerunt collecti, diciq; poſt excuſſum Romanorum jugum voluerunt *Franci* qvaſi *Fryancken* h. e. ſervi liberi. (Anke enim ſeu Encke ſervum vel pullum ſignificat, ſicuti & ſervi ruſticorum in Saxonia hodieqve dicuntur Encken; Enckel etiam idem Germanis eſt, qvod nepos vel puerulus) Qvi cùm fimbrias imperii per Galliam Germaniamq; latè extendiſſent, id jam Caroli M. ævo ſunt conſecuti, ut univerſa Gallia omnisq; Germania, qvæ à Rheno ad Illyricum usqve pertingit, Francia dicta fuerit, unde & hodiernâ adhuc tempeſtate Aſiatici Europæos univerſim, & Turcæ Chriſtianos Francos vocitant. *V. Lanſ. in Conſult. pro German. p. 102.* Scilicet Franci olim, cùm diu multùmq; ac variis modis depopulati eſſent Galliam, maximâ tandem ſui parte in ea conſederunt, & Burgundionibus tandem ac Gothis in eadem debellatis, novam Franciæ Occidentalis Monarchiam condiderunt, Galloſq; novo adoptandi modo nomini poteſtatiqve Francorum mancipârunt. *V. Rittershuſ. in Exegeſ. Geneal. f. 31.* Cæterùm qvô præcisè tempore Francorum inclaruerit nomen, diſertè pronunciari vix à qvoqvam poterit. Sunt eqvidem, qvi id nominis ab ævo usqve Ciceronis deducunt, epiſtolâ qvadam ad Atticum

cum

cum ſcriptâ confirmati; Sed ibi Fangones in Frangones perperàm transformatos eſſe *Rittershuſius obſervat l.c.* Qvid? qvòd alii eòusqve, audaciæ dicam an inſaniæ? procedunt, ut Francorum originem à bello usqve Trojano arceſſant; Arceſſunt ſanè hiſtoriographi Cæſarei non uni Johannes Manlius, ejusqve plagiarius, Hieronymus Gebwilerus, Johannes Stabius, Wolfgangus Lazius, Franciſcus Gvillimanus, & Theodoricus Piespordius, nec non his priores Hunibaldus, Johannes Trithemius & Johannes Aventinus. Sed horum fabulas exploſas vide à *Betulejo in Speculo honorum domus Auſtriacæ f.9.* ubi & Bertio adſtipulatur Francos à Sicambris deducenti. *Conf. Dedicationem noſtram Georgii Hornii Orbi imperanti præmiſſam.* Illud autem extra dubitationis aleam videtur conſtitutum, qvòd Comites Palatini, ex qvibus oriunda eſt hæc Sponſa, ex Comitibus Palatinis Regum Franciæ, qvi & majores Domûs appellabantur, deſcendant; qvod & toto *libro 1. Annalium Palatinorum*, qvo vita & res geſtæ *Friderici II.* Comitis Palatini & Electoris percenſentur, oſtendere ſatagit *Hubertus Thomas Leodius*, Hiſtoricus Cominæo candore & ingenuitate vel æqvandus vel anteferendus.

*Sed neq; tùm colles iſtos.*] Scilicet Majores 327
Sponſæ antiqviſſimi non in Palatinatu inferiori, ſed in Bavaria reſidebant; qvandoqvidem Palatinatus cum Bavaria in *Ludovico* demum, de qvo infra *ad verſum 386.* fuit conjunctus. Et hanc Bavariam Poëta deſcribit à qvatuor fluviis eum perluentibus.

Primus

Primus eſt *Danubius*, isqve fluviorum Europæ maximus, qvi propè Rauracos montes oriens per Bavariam decurrit, variasq́; gentes adiens in mare tandem Euxinum ſeſe præcipitat, à *Johanne Stuckio*, Tigurino cum oppidis, qvæ irrigat, & fluviis, qvi in eum devolvuntur, luculenter deſcriptus; Secundus *Nabus*, qvi ortum in monte pinifero ſumens cum tribus aliis, Egra, Sala & Mœno verſus meridiem atqve adeò in Bavariam exerrat, à qvo *Nariſcos* denuncupatos eſſe exiſtimat Cluverus, Geographorum facilè princeps, (Nam & hi Bavariam olim incolebant, poſterioribus temporibus *Armalauſi* dicti.) Ita autem Cluverius l. 3. German. antiq. c. 29. *Aut flumen Nabum adcolis qvondam dictum fuit* die Nare / *unde genti nomen derivatum* die Nariſchen / *aut genuinum nomen* die Nabiſchen *Romani vitiarunt in Nariſcos*. Tertius fluvius eſt *Regus*, qvi ex Norico in Franconiam fluens Bambergæ Mœno admiſcetur, Germanicè die Rednitz / vel Regnitz à *Nauclero l. 2. p. 176.* Radiantia, ab *Höpfnero in Saxon. Evangelica p. 393.* Radantia *Aventino Annal. Boj. 253. Rhedoneſſius & Regneſius*, *Althamero ad Tac. German. p. 101.* Regniſus *Camerti ad Niceph. p. 103.* aliis adhuc aliter dictus; Qvartus deniq; *Pegneſſus*, qvi Noribergam permeat; à qvo & Norica Poëtarum Germanorum ſocietas vocatur die Pegnitzer Schäfer-Geſellſchafft / eaq́; ab immortali fructiferæ ſocietatis decore Philippo Harsdörffero inſtituta; de qva vide *CL. Riſtium in Colloq. Februario p. 19.* Inter hos *Nabus* & *Regus* orti di-

dicuntur è montibus Herciniis. h.e. Bohemicis. Nam, qvod ſupra jam obſervatum meminimus, ſylvæ Germanicæ omnes antiqvæ illius ſylvæ Herciniæ, qvæ, teſte *Cæſare lib. 6. de bello Gall.* ſecundùm longitudinem ſexaginta dierum, latitudinem novem dierum ſpatio extendebatur, à finibus qvippe Galliæ incipiens, & ad confinia usqve Aſiæ excurrens) fuerunt particulæ; atq; adeò ad ſylvam Hercyniam præter tot alias & Othonis ſylva, qvæ in Palatinatu eſt, & Bohemica pertinuerunt, qvanqvam apud Cheruſcos nomen vetus conſtanter (vocatur enim hodiedum der Hartz) retinet. *V. Neander in prima parte Orbis terræ p. 87.* Cæterùm inſigne Ducum Bavariæ veterum erat flavus Leo. Sic enim Poëta:

*Aureus in clypeo veterum geſtamen avorum* 337
*Ardebat, vaſtosq; leo pandebat hiatus;*

qvod & Comitum Solmenſium, è qvibus hi duces oriundi ſunt, ſignum fuit gentilitium. V. *Hubertus Thomas Leod. in Annal Palatin. l. 1. p. 12.* Hæc autem inſignia ſuccedente tempore mirificè, ut fit, & aucta ſunt & exornata. *V. Betulejus in ſpeculo Honorum domûs Auſtriacæ f. 145.* Qvæ paulò excusſiùs nunc & ſecundum artis ſcutariæ leges jam examinaremus, niſi abundè id præſtitum nôſſemus à *D. Joh. Philippo Spenero*, Theologo pariter atqve Polyhiſtore incomparabili, in opere Heraldico. Nam in illo Inſignia omnia Europæorum magnatum ac civitatum qvoad materiam & formam expen-

penduntur, & qvo titulo vel ratione gerantur ſingula, accuratè ex hiſtoriis deducitur. *V. operis hujus* ἰχνογραφίαν *in Inſignibus Familiæ Saxonicæ ab eodem Spenero 1668. editis poſt præfationem ad Lectorem.*

*Sævos Lutholdus in Ugros.*] Comites Palatinos Rheni à Comitibus Palatinis Regum Franciæ ſive Majoribus domûs, qvi Miniſtri hactenus primarii, barbarè Miniſtriſſimi ſunt appellati, deducere Leodium jam obſervatum. Sed mirificus aliorum de Sereniſſimæ hujus familiæ origine diſſenſiones animadvertas. *V. Spener. Sylloge Geneal. p. 60.* Cautiores eſſe qvi volunt, *Luitpoldum* conſtituunt ſtipitem, eumqve ab Arnolpho Imperatore, qvem à Carolo M. deſcendere conſtat, deducunt. Sed hæc Carolina Comitum Palatinorum origo à Blondello vocatur in dubium, ea maximè, qvæ à Pipino usqve cum Leodio arceſſitur. Huic fidem arbitrari ſi velis, autor familiæ hujus Arnolphus fuit, ſed non ille Carolini ſtemmatis ſurculus, ſed neſcio qvis alius à Normannis occiſus; atqve huic filius tribuitur *Luitpoldus*, qvi Bavariam rexerit, ab Ugaris tandem trucidatus. *V. Spener.* l. c. Qvicqvid hujus ſit, illud dubitatione omni caret, fuiſſe ſeculo poſt C. N. decimo *Luitpoldum* Ducem Bavariæ, eumqve ab Hungaris tùm temporis Italiam Germaniamqve immaniſſimè vaſtantibus interemtum. Nec alium intelligit h. l. Poëta noſter. Ei ſucceſſit *Rudolphus* filius Dux Bavariæ, ſed qvi Imperatoribus duobus Conrado I. & Henrico I. ſive Aucupi

non ſemel rebellis factus, graviſſima cum illis bella geſſit, filiosqve hoc ipſo, qvò minus ſuccedere in Ducatu poſſent, impediit. Reliqvit autem duos filios, *Eberhardum*, qvi veteres Marchiones Auſtriacos ſeviſſe dicitur, & *Arnolphum* Comitē Schirenſem, cujus conditionis & filius ejus *Arnolphus*, ſeu, ut alii rectiùs vocant, *Bertholdus*, nec non nepos *Wernerus*. Horum eximia virtus in bellis emicuit, in illis cùm maximè, qvi adverſus Hungaros latè graſſantes id temporis gerebantur. Et *Wernerus* qvidem famoſisſimæ illi pugnæ interfuit, qvâ Hungari ad amnem Licum, (hujus etiam fit mentio *v. 348.*) proximè Auguſtam Vindelicorum ab Imper. Ottone M. fuſi, & ad internecionem ferro, flammâ & aqvis ſunt deleti. Qvamvis enim ad Martisburgum profligati contuſiqve in tantum eſſent Hungari, ut ad tantæ cladis memoriam demittere elatos ſpiritûs debuiſſent (nam centum & qvinqvaginta hominum millia occiſa, qvinqvaginta millia capta feruntur, præter eos, qvi errantes pasſim & diſperſi in fuga perierunt,) nihilominùs tamen ab Heroldo Salisburgenſi Epiſcopo evocati incredibili cum multitudine Germaniæ denuò inſultârunt, ſed fato ſuo, qvod diximus, internecino. *V. Aventinus Annal. Bojor. l. 3. Cruſ. in Annal. Svev. p. 2. l. 4. c. 8. & Caſpar Ens l. 1. Rer. Hungar. Conf. Lanſ. in orat. contra Hungariam p. 617. & Horn. in orbe Imp. p. 143.* Ex *Wernero* hoc natus *Otto I.* Comes Solmenſis, filiumqve habuit Ottonem II. nepotemqve Ottonem III. Et hinc noſter:

*Ordine tres illis vos ſucceſſiſtis Othones.*

Ex his *tertius Wittelsbachius* dictus (Wittelsbachium enim condidit, arce Solmenſi in monaſterium converſâ, unde & familia dicta *Wittelsbachia*) expeditioni in Palæſtinam ſive terram ſanctam à Chriſtianis principibus ſuſceptæ interfuit. Inſtigati enim principes à Papa ad militiam ſanctam, Palæſtinamqve barbaris eripiendam numeroſiſſimos pro recuperanda illa exercitûs colligebant. Primæ autem expeditioni *cruciatæ* (ita enim vocabatur, eò qvòd Principes rubram de luna crucem é manu Pontificis ſuſceptam humeriſqve ſuis affixam geſtabant) tanqvam imperator præfectus eſt *Godofredus Bullionius*, Dux Lotharingiæ, qvi cùm in Aſiam 600000. peditum & 100000. loricatorum eqvitum adduxiſſet, Bithyniam, Ciliciam, Syriam, Meſopotamiam ſui juris fecit; qvin & Hieroſolymam obſidione cinxit ac cepit, cùm ipſe primus in muros evaſiſſet; Aſcalone etiam expugnatâ rex Hieroſolymis fuit coronatus, ſed ſpineam, non auream coronam geſtans. *V. Scriptores Expeditionis Hieroſolymitanæ à Bongarſio collecti, & ex illis præcipuè Wilhelmus Tyrius*, qvi ſacrum hoc bellum 23. voluminibus enarravit. *Conf. Hiſtor. Eccleſ. Gothan. p. 590. & ſeqq. & Horn. Orb. imp. p. 35. & ſeqq. noſtraſq; ad illum notas.* Hæc omnia cùm non obſcurè inſinuâſſet Poëta, felices deprædicat omnes, qvi expeditioni iſti *Cruciatæ* interfuetunt, ſed minùs orthodoxè. Neqve enim plenaria peccatorum remiſſio, utut promitteretur, ipſis ob peregrinationem

nem hanc obtigit, qvippe qvam unicè ex Chriſti merito impetrare per fidem licet. Adde, qvòd illa terra non ſit ſancta ampliùs, ſed jamdudum à Salvatore ipſo maledicta; nec donare illam principibus potuerit Pontifex, utpote in qvam ne tantillum qvidem juris habuit. *V. Gisbert. Voët. P. III. diſput. ſelect. p. 329. & D. Zieglerus in Epiſcopo milite c. XI. §. 38.*

*Fulgeretq; crucis paſſim venerabile ſignũ.*] Non cruces tantùm in veſtibus militum effulgebant, ſed & in vexillis vel maximè. Et hæc qvidem non hâc demum tempeſtate crucem præ ſe ferebant, ſed jam inde à Conſtantini M. ævo. Cùm enim illi adverſus Maxentium pugnanti Crux in aëre lucidiſſima apparuiſſet, cum hac inſcriptione: *In hac vince*, ab illo tempore Crux Domini ſignis militaribus inſerta eſt. Sic enim Zonaras id referens: *Igitur ex auro ſtatim ſubitaneo opere efformans crucem juxta ſpeciem, qvæ apparuerat, & hanc jubet prægredi exercitum; cum Maxentianis prælium commiſit & ſuperavit.* Eluxit autem cùm in aliis vexillis, tùm in Labaro potiſſimùm, vexillo omnium primo atqve maximo. Atqve hinc Prudentius l. 1. contra Symmachum ad Romam converſus:

*Agnoſcas Regina lubens mea ſigna neceſſe eſt,*
*In qvibus effigies crucis aut gemmata refulget,*
*Aut longos ſolido ex auro præfertur in hoſtes.*

Neqve enim vexillorum ſaltem purpuræ crux inſita ex gemmis contexta & impreſſa, ſed in vertice qvoqve haſtarum conſpiciebatur, ex ſolido auro formata. *V. Lipſ. l. 3. de Cruce c. 15. & Weizius ad Prudent. p. 743.* Qvid? qvòd caſtra ipſa ad formam crucis fuerint compoſita, ut patet ex lege Leonis Imperatoris extante *in c. XI. de apparatu bellico: In medio caſtrorum platéa ſtrata ſit ad Crucis formam transverſa. Conf. Joſua Arndius in lexico antiq. Eccleſ. p. 300.* Cæterùm cùm vexillorum cruce ſignatorum ſemel facta ſit mentio, non ſilentio tranſeundum eſt Palladium illud Italorum antiqviorum militare, qvod omnes ſummo ſtudio certatim tuebantur, *Caroccerum & Carocium* appellatum. Nam & illud cruce erat inſignitum. Eſt autem Caroccium (ita enim deſcribitur *in manipulo Florum*, citante *Laurentio Pignor. in notis ad Albertini Muſſati Hiſtor. Auguſt. f. 33.*) *currus qvidam admirabilis, per circulum à ſummo deorſum ſcarlato veſtitus. In cujus medio & arbor procera contingens cœlum, qvam qvatuor viri portare non poſſunt; qvæ à freqventia virorum recta tenetur, funibus hinc inde protractis. In ſummitate Arboris eſt crux aurea, ſplendens nimio fulgore; ſub cruce vexillum album eſt cruce rubrâ inſertum. Hunc currum qvatuor juga boum trahunt, qvæ ſerico albo cum phaleris, cum rubea cruce per medium ſunt cooperti.* Caroccii accuratiorem deſcriptionem dedit *Antonius Campius* pictor & Eqves Cremonenſis in deſcriptione urbis Cremonæ lingvâ vernaculâ, qvam

UNIV.- UND LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

qvam latinè vertit *Philippus Rubenius V. cam apud Franciſc. Swertium in notis ad Magii librum de tintinnabulis. Conſ. Sigon. lib. de Regno Ital. & Magius ipſe c. XIII.* ubi figuram *Caroccii* cum tintinnabulo & vexillo delineatam repræſentat, notatqve inſimul, maximi dedecoris loco habitam Caroccii amiſſionem; unde & Bononienſis JCti Accurſii gloſſema enatum, *regulæ cuidam inhærendum, tanqvam ſolent Bononienſes Caroccio*; qvod & apud Italos JCtos in proverbium abiit, teſte *Alciato in libris de verborum ſignificatione.* Sed ad milites Palæſtinos recurrimus, qvi tàm miſerabili id temporis ſuperſtitione occœcati erant, ut eandem propemodùm, qvàm DEI filio, vim cruci tribuerent; qvæ ſtupiditas non ſine ſtupore legitur in Palæſtinorum bellorum ſcriptoribus. Sic enim ex illis incertus autor Bongarſio, qvem *Liſiandrum* fuiſſe exiſtimat Barthius: *Saraceni more ſuo de numero confidunt: de Crucis & Crucifixi virtute Chriſtiani. V. Barth. ad Briton. lib. VIII. p. 533.* Et cui ſtaurolatria Pontificiorum plerorumq; omnium non eſt cognita? Nimirum picta primitùs eſt crux non ut adoraretur, ſed ut adorandum memoriæ ſubjiceret. Poſteà ſingularis qvædam ei virtus adſcripta eſt. *V. Dilherr. l. 1. Elect. c. 25.* Sanè Doctor Angelicus eam Crucem, in qva pependit Dominus latriâ i. e. cultû DEI proprio, cæteras tantùm hyperduliâ colendas eſſe cenſuit. Nos Hieronymi illud ex Pſ. 94. expoſitione noſtrum facimus: *Felix, qvi crucem, & reſurrectionem, & locum nativitatis &*

*aſcenſionis Chriſti portat in pectore ſuo. Conſ. Arnd. l.c.p. 290.*

378 *Poſt Otho pacis amans.*] *Othonem* videlicet *III.* qvem *Wittelsbachium* condidiſſe diximus, excepit *Otho IV.* à pacis ſtudio commendatus, & hunc *Otho V.* ingentem ex bellis Cæſareis gloriam indeptus, & ſuo merito *inſignis bellator* à poëta appellatus. Fuit enim vexillifer Friderici Barbaroſſæ Imperatoris, eiqve egregiam cùm in aliis locis, tùm in Italia maximè (& hinc fluminum Italiæ *Abduæ, Ollii, Eridani, Mincii & Atheſis* apud Poëtam mentio) operam navavit; unde & factum, ut cùm Würceburgi in celebri Principum Germanorum concilio *Henricus Leo* Dux Bavariæ & Saxoniæ abdicaretur, & ob crimen læſæ majeſtatis condemnaretur, Ducatum Bavariæ ob res præclarè fideliterqve geſtas obtinuerit, eumqve poſtliminiò qvaſi ad familiam reduxerit. *V. Brunnius in Catalogo Elector. Palat.p.10.* Erat aliàs, qvod notare h.l. operæ pretium eſt, *Henricus Leo* ab Albi ad Rhenum, à Balthico mari ad fines usqve Italiæ Dominus longè potentiſſimus, ſed à Friderico I. proſcriptus regimine horum omnium excidit. Bavaria enim ceſſit, uti jam indicatum, *Ottoni V. Wittelsbachio, Bernhardo Anhaltino* Saxonia ſuperior, *Philippo* Colonienſi Archiepiſcopo Angria & Weſtphalia, principatûs alios ut taceam, qvos Principes alii hâc occaſione ſibi aſſeruerunt. Ipſe exul in Angliam ad *Richardum* ſocerum ſuum abiit, cujus interpoſitione *Brunſvvigum* recepit cum *Luneburgo. V. Spener. in Syllog.*

*Syllog. Geneal. p. 158. & Burgold. ad Notit. Imp. art. III. pag. 321.* Huic *Heinrico* Leoni cùm tres eſſent filii, *Henricus* primogenitus per Uxorem *Clementiam* Conradi Svevi filiam & Friderici Barbaroſſæ neptem Palatinatum Rheni obtinuit, perqve filiam Agnetem ad *Othonem Wittelsbachium VI.* tranſmiſit. Ex *Othone* namqve *V. Wittelsbachio* naſcebatur *Ludovicus II.* Comitum Palatinorum & Bavarorum, qvi hodiè ſuperſunt, communis pater, isqve *Severus* dictus, qvod uxorem innoxiam præcipitato ſupplicio interemerat. *V. Spener. l. c. p. 63.* Huic duo erant filii, *Rudolphus & Ludovicus*, qvorum illi Palatinatum, huic Bavariam donabat pater, eâ tamen conditione, ut Electoriam dignitatem viciſſitudinario jure poſſiderent. Sed imperii Proceres atqve Imperatores nonniſi Comitibus Palatinis id honoris deberi exiſtimabant; Carolus etiam IV. in aurea Bulla edicto cavebat, neqvis, niſi *Comes Palatinus Rheni Archidapiferatum* ſibi vindicaret. *V. Hubertus Leodius l. 1. annal. Palatin. p. 16.* Et hinc ſparſa illa odiorum inter utramqve lineam ſemina. *Rudolphus*, poſtqvam ſocero *Adolpho* Comiti Naſſovio, qvi Imperator poſt *Rudolphum I.* electus erat, contrà *Albertum Auſtriacum* adſtitiſſet, Henrico etiam Septimo contra Urſinos navâſſet operam, à fratre *Ludovico*, electo Imperatore hujus nominis *VI.* eò qvòd ſuffragium in electione non ipſi, ſed *Friderico Auſtriaco* dederat, expulſus eſt, qvem in Anglia extinctum qvidem, ſed Heidelbergæ tumulatum cum patre accepimus. *V. Spe-*

*ner, l.c.p. 64. Rudolphus* tres reliqvit filios, *Adolphum Simplicem, Rudolphum Cœcum & Rudolphum Ruffum*, qvorum hic Heidelbergenſem An. 1346. fundavit Academiam, *filiæq; ſuæ* eandem nomine nobilitavit. Et hinc laudes illæ *Ruperti à v. 405. usq; ad 420.* qvibus & aliæ adduntur de hoſtibus in Nemetum agro debellatis *v. 421. ſqq.* Sed duos *Rupertos* hîc confundit Poëta. *Rupertus* enim *Ruffus* Academiam Heidelbergenſem condidit, ſed *Rupertus II. Adolphi ſimplicis* filius, isqve *durus & tenax* dictus, copias civitatum juſſu Cæſaris contra ſe pugnantium in Nemetum agro profligavit. *V. Aventini Annal. Bojor. l. 7.* Huic *Ruperto tenaci* ſucceſſit filius *Rupertus junior*, Hertzog Klemm appellatus, & A. 1400. Imperator electus. Hic Florentinorum & Pontificis Romani literis ſollicitatus in Italiam abiit ad potentiam Johannis Galeacii Vice Comitis Mediolanenſis retundendam; ſed re non feliciſſimè geſtâ rediit. Decætetò & Templum & Collegium in Academia Heidelbergenſi extruxit. *V. Epitaphium ejus apud Spenerum p. 65. Conf. Brunnius l. 1. p. 27.*

404 *Hinc pius Aoniis.*] Rupertum Ruffum Academiam fundâſſe Heidelbergenſem, indicatum eſt amodò. Et hinc *Aoniis Muſis condidiſſe atria* hoc verſu celebratur. Neqve enim Aoniæ Muſæ in montibus Bœotiæ Aoniis, unde Aonides dictæ ſunt, ſedem habuére fixam; qvin Græciâ relictâ in Italiam, & exinde trans Alpes in Germaniam commigrârunt, Saracenis barbariſſimis gentibus id loco-

rum

rum jamdudum incolentibus, qvod Theodorus Zygomala, Patriarcha Conſtantinopolitanus in literis ad Martinum Cruſium, Græcæ lingvæ qvondam in Academia Tubingenſi Profeſſorem datis non diffitetur ipſemet, ſic ſcribens, ſe Muſas tantoperè à Poëtis celebratas fruſtrà in Helicone qvæſiviſſe, ſed, poſtqvam literas Cruſii ex Germania accepiſſet, tùm demum intellexiſſe ſe, Muſas priſcis relictis ſedibus in Germania jam hoſpitari. *V. Neandri* Bedencken *p. 10.* Illâ autem, qvam diximus, Academiæ Heidelbergenſis fundatione dici neqvit, qvantum & ſibi gloriæ, & ditionibus ſuis, imò Germaniæ univerſæ emolumenti attulerit *Rupertus Ruffus.* Et horſum verſus ſpectant *à 406. usq; ad 419.* Sunt enim Academiæ Seminaria Eccleſiæ & Reipublicæ, ſunt fontes humanitatis in tota vita, qvibus neglectis ſuperſtitio & literarum ignorantia, nec non morum ferocitas, & fœda qvædam barbaries non regnare non poteſt. *V. Giſenius de vita Academica, diſſert. 1. §. 53.* Aliàs Monaſteria Academiarum inſtar qvondam erant, unde & viri eruditi tùm ad Eccleſiæ, tùm ad Reipublicæ munera producebantur; id qvod vel ex Bibliothecis inſtructiſſimis, qvæ in Monaſteriis qvibusdam adhucdum extant, licet colligere. Sed Monachis poſteà & Canonicis ſtertentibus Imperatores non ſine divino numine aperuerunt Academias & Scholas publicas, inqve iis literarum propagare ſtudia inſtituerunt. *V. Zvvingerus in Theatro vitæ hum. 28. Jacobus Middendorppius in libro de Academiis & Lanſius*

*in diſſertatione de Academiis peculiari.* Verùm qvando primitùs inſtitui cœptæ ſint Academiæ, non usq;qvaq; clarum elucidatumq́; videas. Originem illarum ad ſeculum XIII. refert ὁ πάνυ Conringius in *diſſert.3. de Antiqvitat. Academ.* Sed longè vetuſtiorem eſſe Scholam Salernitanam oſtendit *Reineſius in var. lect. p.134. Conf. Rappoltus ad Horat. p.749. & ſeqq.* Et cui Academia Bononienſis, qvæ bonorum ſtudiorum mater & parens hodieq; audit, non eſt cognita? Ea verò ab Imperatore Theodoſio, Arcadii filio, fundata annis abhinc mille ducentis & qvinqvaginta circiter; Et ex hac poſtmodùm, qvanqvam longo intervallo pòſt, anno videl. Chriſti ſeptingenteſimo XCI. Pariſienſis in Gallia, autore ac fundatore Carolo M. Francorum Rege, (qvippe qvi ſvasu & conſilio præceptoris ſui Alcuini iſtam erexerat Academiam, Muſasq; primus in Galliam introduxiſſe ſcribitur) oriunda eſt. Et hæc Pariſienſis Academia eſt, qvam Lipſienſis noſtra velut Aviam agnoſcit, utpote ex qva prodiit circa annum Chriſti M.CCC.LX. Pragenſis in Bohemia, Caroli IV. Romanorum Imp. auſpiciis; qvæ Pragenſis Academia hanc noſtram, annis undeqvinqvaginta pòſt, anno nimirum Chriſti 1409. ſed cum pernicie ſua procreavit. *V. Fridericus in Orat. Acad. Lipſ. ſeculari p.10.* Cæterùm præter Academiam Heidelbergenſem & Lipſienſem noſtram conditæ plures aliæ in Germania ſunt Academiæ, qvarum fundationes præter autores ſuprà citatos exhibet *Balthaſar Mencius*

*cius & Wolfgangus Juſtus in Catalogis hoc de argumento ſingularibus*; Conf. *Pantaleon. parte II. proſopograph. p. 347. M. Joh. Bötticher in Iſagoge Hiſtor. p. 359. ſeqq. & M. Stephanus Prætorius in ratione formand. ſtud. pag. 104. & ſeqq. Reuſnerus in Iſagog. Hiſtor. p. 167. Alſted. in Theſauro Chronolog. p. 279. ſeqq. Daniel Otto in jure publ. p. 497. ſeqq. & Wendelinus in Politica p. 261.*

*Dotales Stephanus populos.*] Cùm qvatu- 431
or *Ruperto Imperatori* fuerint filii, *Ludovicus Barbatus* cognominatus Electoratum, *Johannes* Neuburgum & Sulzbacum, *Stephanus* Simerenſem & Bipontinum tractûs, *Otto Mosbacum* obtinuit. Sed *Ludovici Barbati* proſapia (in qva penultimus fuit *Fridericus II.* cujus vitam & res geſtas individuus ejus comes, Thomas Hubertus, deſcripſit) exſpiravit in laudatiſſimo principe *Othone Heinrico*, qvi extinctionem familiæ hujus transſcribere ipſemet Huſſico ſangvini injuſtè effuſo non eſt veritus. Nam *Ludovicus Barbatus*, *Ottonis Heinrici* abavus, Concilii Conſtantienſis ſententiam in Huſſum & Hieronymum Pragenſem à Sigismundo Imperatore latam fuerat executus. *V. Spener. in Sylloge Geneal. p. 61. & 72.* Electoralis ergò dignitas tranſiit ad lineam *Stephani.* (Etenim *Johannis* proſapia in filio *Chriſtophoro*, qvi matris intuitu Rex Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ electus fuerat, defecit.) Hic *Stephanus* ductâ in matrimonium *Friderici* Comitis Veldentiani filiâ *dotales*, ut poëta loqvitur, ditionibus ſuis adjecit hos *populos*, duasq; novas dedit

lineas,

lineas, *Simerenſem* & *Bipontinam.* Simerenſis conditor fuit *Fridericus* Stephani filius ab habitatione der Hundsrücker dictus; ex qvo deſcendit filius *Johannes I.* Princeps pacis ſtudioſiſſimus & nepos ex eodem Johannes II. qvi non abs re à juſtitiæ & literarum amore h. l. commendatur. Fuit enim hic Cameræ Imperialis, qvæ Spiræ eſt, Judex ſapientiſſimus, à Carolo V. impensè adamatus, & cùm in aliis artibus ſcientiisqve, tùm in Aſtrologicis maximè, Botanicis & Hiſtoricis non mediocriter exercitatus. Et hinc encomium ejus in hac Ecloga *à v. 440. usq; ad 453.* Et ex hoc ipſo natus eſt *Fridericus III.* Elector Palatinus, *Dorotheæ Suſannæ*, illuſtriſſimæ Sponſæ noſtræ Pater, qvi, qvòd *Ottoni Heinrico* jam celebrato in Electoratu ſucceſſit, honores & titulos atavi, h. e. *Ludovici Barbati* ſortitus h. l. dicitur. Hic *Fridericus* in bello Anti-Turcico ſigniferi partibus non ſine gloria fuit functus. Atq; hinc Poëta: *Cujus adhuc, annis vix pubeſcentibus &c. v. 458.* Inter reliqva ejus elogia vel maximè exſplendeſcit ſinceræ religionis amor. Sic enim Lotichius: *qvantus ſub pectore fervet Doctrinæ cœleſtis amor?* Et verò is Evangelicam amplexus eſt doctrinam unà cum conjuge *Maria Brandeburgica*, à *Georgio pio* in Confeſſione Auguſtana educata. Sed primitùs duntaxat. Poſteà enim, cùm controverſiæ de Sacra Cœna inter Lutheranos & Reformatos effervesſcerent, primus ex Germaniæ Principibus Reformatis acceſſit, inq; Helvetica, qvam vocant, Confeſſione ad extrema usqve perſtitit. *Vi-*

*de Spener. l. c. p. 73.* Filii ejus fuerunt *Ludovicus* & *Joh. Caſimirus*, qvorum ille Helveticâ Confeſſione ejectâ Auguſtanam reſtituit, hic verò Electoratûs adminiſtrator poſt mortem *Ludovici* Helveticam poſtliminiò qvaſi in Palatinatum reduxit. *V. Joh. Lætus in Compend. Hiſtor. univerſal. 460.* Idem *Joh. Caſimirus* expeditiones pro reformatis ſeu Hugonottis, ut vocant, tres ſuſcepit in Galliam, de qvibus conſulere *Richardi Dinothi* hiſtoriam Gallicam operæ pretium fuerit. Ex *Ludovico* natus *Fridericus IV.* Pater *Friderici V.* infeliciſſimi illius Electoris, & avus *Caroli Ludovici*, qvi Electorali dignitati per inſtrumentum pacis fuit redditus, Archi-theſaurarii titulum inter Electores, nunc Octoviros, olim Septemviros adeptus. *V. Burgold. in Notit. Rer. Imperii P. 1. p. 427. & 450.*

*Finierat Nicer.*] Nimirum uti Duces Saxo- 487
niæ Calliope, ita Nicer Comites Palatinos Rheni ab origine prima, ſic fingente Poëtâ, enarravit. Nunc Poëta loqvitur ipſemet, & primùm qvidem naturam ipſam nuptiis applaudentem introducit *v. 491. ſeqq.* Deinde Sponſam commendat à pulcritudine tùm externâ, tùm internâ *v. 501. ſeqq.* Sponſum autem à rebus egregiè in bello geſtis *v. 514. ſeqq.* Exin Hilaria deſcribit nuptialia tùm ab epularum apparatu, tùm à ſaltationibus & ludis eqveſtribus, nec non ab ignibus miſſilibus ſub noctem in aërem evibratis *v. 524. ſeqq.* Deniqve & votum addit, dum Sponſa non ſine ſecundo omine ad illuſtriſſimos thalamos à patre ducitur, & Sponſo

ſo commendatur. Hæc cùm de ſuo inſeruiſſet Poëta, Calliopen denuò inducit Muſas ad epithalamium canendum excitantem. Canunt igitur Hymenæum Muſæ, verſum qvippe illum: *Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe*, decies repetentes, & jam conjugium præ cœlibatu, utpote ulmo fulmine tactæ atqve infrugiferæ non diſſimili, *v.551.ſeqq.* jam turturum amorem concordiamqve (*optima* enim *auguria*, inqvit Scaliger de Re Poët. l. 3. c. 100. *à turture & cornice; utrumq; ſiqvidem animal adeò ſui conjugis ſtudioſum, ut eo morte affecto ſuperſtes nullius appetat præterea conjunctionem*) celebrantes *v.562.ſeqq.* mox Zephyrias auras ad calorem Syrii attemperandum (eſt enim Favonius ventus Veneris, ſecundùm *Lucret. l.1.*) advocantes *v.570.ſeqq.* inde beatum Sponſæ Avum tanqvam Medicinæ qvondam callentiſſimum, ut Sponſæ Matrem non optimè tum valentem, ſanitati reſtituat, compellantes *v.577.* felixq; item ac fœcundum conjugium illuſtriſſimo Pari augurantes *v.585.ſeqq.* porrò Socerum Sereniſſimum Ejusq; filios, *Ludovicum* putà & *Joh. Caſimirum* alloqventes, *v.590 ſeqq.* eosqve, ad conſervandam Academiam, religionemqve & juſtitiam inſtigantes *v.607.ſeqq.* & noctis deniq; primæ felicitatem & Sponſæ deſiderium erga Sponſum, poſteà vel bellaturum vel venaturum *v.622.* exprimentes, & fauſta pariter omnia, imò aureum qvoddam ſeculum ex conjugio hoc promittentes, *v.634. ſeqq.* & hoc ipſo læto omine epithalamion abſolventes

ventes. In his verſibus qvaſi in nuce repræſentatis non unius herbæ fit mentio, & primùm qvidem hederæ, qvâ ſtricta amantium alligatio etiam in Catulli & Claudiani nuptialibus carminibus exprimitur; deinde Eryngii, Germanicè Manns-Treu/ qvæ herba, præterqvam qvod facere adverſus adulterinos amores dicitur, *fellis mellei*, ut Plautus vocat, h. e. dulcamari amoris egregium eſt ſymbolum, qvo ipſo & Phaon Sapphûs Poëriæ conciliâſſe amorem fertur; tùm Parthenii ſeu herbæ matricariæ, Germanicè Mutter-Kraut/ ad affectus uterinos ſedandos perutilis; papaveris item, qvod lethéum dicitur ob vim ſomniferam (*vid. Matthiol. ad Dioſcor. f. 746.*) & deniqve roſarum aliorumq; florum ad denotandans maritales illuſtriſſimi Paris delicias, qvandoqvidem roſas calcare & dormire in roſis feliciſſimi qviqve mortalium adagialiter dicuntur; qvibus præter uvas etiam mala non abs re adduntur. Nam malum & pomum eſt in verbis nuptis, inqvit *Taubmannus in diſſertat. de Lat. Ling. p. 58. & malo petere, μηλοβολεῖν Græcis, eſt ad Venerem allicere; nec aliud qvid poma legere eſt, qvàm facere id, qvod Propertius cum Cynthia, Ovidius cum Corinna.* Ita autem Virgilius in Eclogis:

*Malo me Galatea petit laſciva puella, &*
*Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala.*

*Sponſus in æſtivo.*] De expeditione primâ 514
Sponſi hujuſce Gallica ab initio ſtatim ad verſ. 4.
adno-

adnotâſſe nos aliqvid probè recordamur. Eam Poëta h. l. verbis expreſſioribus deſignat, qvando & Moſæ & Somiæ, aliàs Phædris, duorum fluviorum Galliam Belgicam perfluentium, mentionem facit. Nimirùm, cùm à Cæſare, cui operam & togatam & ſagatam obtulerat, fruſtratum ſe videret *Johannes Wilhelmus*, copias Germanicas Anno 1558. pro Rege Galliæ *Henrico II.* adverſus Hiſpanos adducebat, & magna in expeditione illa fortitudinis ac prudentiæ ſpecimina oſtentabat. *V. Chytræus in Saxon. p 500.* Et hinc illæ apud Poëtam laudes, in qvibus & cum nitidisſimo Lucifero perpulchrè comparatur. Expeditionem alteram in Galliam denuò ſuſcepit, decennio pôſt, Anno videlicet 1568. Laborabat enim Gallia id temporis mirum qvantum inteſtinis disſidiis; Condæus ſiqvidem cauſam Reformatorum adverſus Regem & Pontificios ſtrenuè propugnabat; cui & *Johannes Caſimirus*, Comes Palatinus, & Sponſæ noſtræ, nec non *Ludovici* Electoris frater ſubſidio à Patre *Friderico III.* mittebatur. Sed *Johannes Wilhelmus* Dux Saxoniæ, Sponſus noſter, pro Rege Galliæ *Carolo IX.* contra Condæum & Reformatos militabat, & qvatuor eqvitum millia in Galliam, qvam diximus, Belgicam adducens egregium ſeſe bellatorem omnibus approbabat. *V. Thuanus ad annum 1568.* qvanqvam & Regem per Antonium Fumæum amiciſſimè moneret, ut exemplo Maximiliani unicuiqve Religionem aut concederet liberam, aut ab incepto bello deſiſteret; ſcripto etiam publico ante

te expeditionem profiteretur, ſe eam non contra Evangelicos, ſed ſub prætextu Evangelii regnum affectantes ſuſcipere. Cæterùm cùm plura in hiſce verſibus poſterioribus non obveniant ἱςορικότερα, & verò confuſa oppidò ob tot lineas videri poſſit Comitum Palatinorum Rheni Genealogia, non ſenio erit, & ejus lineas, qvod & in Saxonica ſtirpe feciſſe nos meminimus, ad hæc usq; tempora, qvoad ejus qvidem fieri poteſt, deducere. Dictum eſt ſuprà ex RUPERTI filiis duobus, LUDOVICO *Barbato* & STEPHANO duas obortas eſſe lineas, *Electoralem* & *Simerenſem*, illâqve in OTTONE HENRICO extinctâ Electoratum Palatinum ad hanc, *Simerenſem* videlicet, perveniſſe, & qvidem per FRIDERICUM III. DOROTHEÆ SUSANNÆ patrem; qvâ occaſione & ad CAROLUM usqve LUDOVICUM Electorem Palatinum, ejusq; hodiè ſucceſſorem CAROLUM, Principem piiſſimum pariter atq; doctiſſimum, & *Wilhelminæ Erneſtinæ* Danicæ maritatum, deſcendimus. Jam ab illo STEPHANO non *Fridericus* tantùm, der Hundsrücker dictus, & *Friderici III.* proavus prognatus, ſed *Ludovicus* qvoqve, *Niger* cognominatus, lineæ *Bipontinæ* conditor. Huic ſangvinem debet *Alexander*, qvi per filios duos *Ludovicum* & *Rupertum* duas itidem dedit lineas, *Bipontinam* & *Lüzelſteiniam*. Ex *Ludovico* ortus eſt *Wolfgangus Bipontinus*, à qvo tres lineæ per totidem filios fuerunt oriundæ, *Neoburgica*, *Bipontina* & *Bircofeldia*. *Neoburgicam* ſtabilivit *Philippus Ludovicus*, qvi pater factus trium filiorum, *Wolfgangi*

*Wilhelmi, Auguſti* & *Joh. Friderici*, hanc lineam in tres novas veluti diſſecuit, *Neoburgicam, Sulzbacenſem* & *Hippoltſteinenſem*. Ex *Wolfgango Wilhelmo* Neoburgico prodiit *Philippus Wilhelmus*, ſuperſtes adhuc Auguſtisſimæ Imperatricis ELEONORÆ MAGDALENÆ THERESIÆ, præter filios non unos, Pater; ex *Auguſto Sulzbacenſi Chriſtianus Auguſtus*, Helmontianæ doctrinæ valdè addictus, & *Chriſtinaus Alexandri Ferdinandi* Pater. *Johannes Fridericus* autem *Hippolſteinenſis* deceſſit orbus. *Bipontinam* ſtabilivit *Johannes*, ſecundus *Wolfgangi* filius, qvi tres generando filios tres itidem extruxit lineas, *Bipontinam, Landsbergenſem* & *Svecicam* ; *Bipontinam* qvidem per *Johannem II. Friderici* Patrem, *Landsbergenſem* per *Fridericum Caſimirum*, qvi filium nactus eſt *Fridericum Ludovicum*, & *Svecicam* per *Joh. Caſimirum*, qvi Sveciæ immigravit, ductâq; in matrimonium CATHARINA CAROLI Regis filiâ filios genuit CAROLUM GUSTAVUM, Sveciæ Regem poſt CHRISTINÆ abdicationem, bellicoſum & glorioſum, ex qvo natus eſt CAROLUS IX. Rex Sveciæ hodiè florentiſſimus, maritusqve ULRICÆ ELEONORÆ Danicæ feliciſſimus, & *Adolphum Johannem*. *Bircofeldiam* deniqve ſtabilivit *Carolus* tertius *Wolfgangi* filius, isqve tres habuit filios, *Georgium Wilhelmum*, unde cretus eſt *Carolus Otto*, *Fridericum* & *Chriſtianum*, *Chriſtiani* & *Johannis Caroli* ſatorem. Sed lineæ *Lüzelſteiniæ* ſeu *Lautereccenſis* non obliviſcendum, qvam alterum *Alexandri*

*xandri* filium *Rupertum* erexiſſe ſuprà dicebamus. Ex *Ruperto* ſcil. natus *Georgius Johannes*, ex hoc *Georgius Guſtavus*, ex qvo poſteà *Johannes Fridericus* & *Leopoldus Ludovicus*, cui & ſui non deſunt filii, deſcenderunt. Et hîc Ordo jubet qviescere.

*Dia Palatinam ſervet Clementia Gentem,*
*Ad Nicrum & Rhenum qvæ loca amœna tenet,*
*Liligerumqve hoſtem reprimat, qvi, pace revulsâ,*
*Tot populos ejus ſub ſua frena trahit.*
*Sed reprimet. Socias modò vos conjungite vires,*
*Teutones, Imperii ſic redit altus honos.*

# *Indiculus I.*
## Rerum Philologicarum.

A.

*ACademiæ ſeminaria Eccleſiæ* 105
*Academiæ multæ in Germania* 106
*Academiarum occaſio* 105
*Alemanni unde dicti* 91
ἀμφιδρόμια 16
*Aræ ſepulcrales* 30
*Arbor aurea atq; argentea* 56
*Arces prædatoriæ per Germaniam* 64
*earum occaſio* ibid.
*deſtructio* 64.65.66
*Arma à victoribus ſuſpenſa* 67
*Armalauſi qvi populi* 94
*Ars Heraldica ſeu ſcutaria* 95
*à qvo tradita* ibid.
*Auguria nuptialia qvæ optima* 110

B.

*Bavaria deſcripta à 4. fluviis* 94
Brautſuppen/ *qvale ſcripti genus* 88
Belli *progymnaſmata* 56. ſeqq.
Bibere *pro ſalute vivorum* 15
*in memoriam mortuorum* ibid.
Bucolicum *carmen triplex* 2

C.

*Carmina in conviviis cantata* 15
*Feſcennia qvæ* 88.89

Caroc-

Caroccium, currus mirabilis 100
ejus deſcriptio ibid.
proverbium de eo 101
Chauci, qvi populi 12
Coronæ Romanorum triumphales 44
Corona civica cur qverna 45.46
obſidionalis 46. muralis 47
Cornua cur fluviis tributa 40.41
Coryci, qvi populi 12
Crodus, Idolum Saxonum 19
Cruciatæ expeditiones 98
Crux vexillis inſerta 99
non adoranda 101
Curetis qvæ terra 75

D.

Dalmatia vel Dalmantia Miſniæ 34
Danubii ortus & decurſus 94
Diaboli κακοζηλία 13.14
Dies luſtrici 16

E.

Eclogæ non omnes Bucolicæ 1
Epici carminis partes 3
propoſitio qvalis eſſe debeat 4
Eryngium, qvæ herba 111

F.

Feſcennina carmina unde dictæ 88
Chriſtianis indigna 89
Flinz, Idolum Saraborum 53
Franci unde dicti 92
Fluvii, cur cornuti à Poëtis repræſentati 40.41

*cur Senes* 90
*algâ coronati* ibid.

G.

*Germaniæ loca ab Hunnis devaſtata* 40
*Germanorum veterum annales* 15
*Getæ an iidem cum Gothis* 63.64
*Gothi unde dicti* 64
*gens Germanica* 15

H.

Der Hartz/ *Sylva* 63.45
*Herciniæ ſylvæ antiqvæ amplitudo* 95
*Hunni an iidem cum Hungaris* 40
*Hunnorum origo* 40

I.

*Inſignia Nationis Saxon. in Acad. Lipſ. unde* 21
*Ingenia hodieq́ dantur excellentia* 69
*Irmenſula Idolum Saxonum* 19
*Juramentorum varia genera* 19.20

L.

*Labarum qvid* 99
*Lipſia unde dicta* 50
*cur Philyre* 51.52
*Lucernæ olim in ſepulcris poſitæ* 32
*Ludi eqveſtres Germanorum* 57
*Luſtralis aqva Pontificiorum unde* 17
*Luſtrationes gentilibus uſitatæ* 16
*Luſtratio variarum rerum* ibid.

M.

*Malo petere qvid* 111
*Milzeni qvi populi* 34


*Miſnia*

Miſnia unde dicta 25.26
Miſniæ fluvii 26
Miſnici an à Myſis 24
Myſorum ultimus, qvis 25
Miſſæ Pontificiæ unde 30
Monaſteria olim loco Academiarum 105
Mons pinifer Voigtlandiæ 26
    qvatuor ejus fluvii ibid.
Montes Hercinii 63
    variè diviſi ibid.
Muſæ olim tres 9
    non amplius in Græcia 104.105
    an à Poëtis Chriſtianis invocandæ 4.5
Muſarum parentes 8
    officium ibid.
    diſcrimen 9

N.

Nabus fluvius Bavariæ 94
Nariſci unde dicti ibid.
Nominis impoſitio 16

P.

Palæſtina non terra amplius ſancta 99
Parentandi mos vetus 30
    adhuc in Acad. Lipſ. freqventatur 32
Parthenium qvæ herba 111
Pegneſſus fluvius Norici 94
Pegnitzer Schäffer-Geſellſchafft ibid.
Peregrinationes ad loca ſancta 41.74
Philippi Melanchthonis laus 79
Promotiones per Dativum 71

R.

Rädelsführer *qvi dicti* 80
Raub-Schlöſſer 64.*ſeqq.*
*Regus fluvius Norici* 94
*ejus varia appellatio* ibid.
*Rhodos cur Phœbea dicta* 75
*Roſa felicitatis ſymbolum* 111
*Rutæ efficacia* 9.10

S.

*Schola Salernitana* 106
*Seculum hodiè* Φιλάργυρον 70
*Selingſtadium unde dictum* 24
*Serpentis cultus* 13
*Signa genitiva* 82.83
*J. P. Speneri laus* 95
*Svevus fl. hodiè Spreæ* 62
*Svovetaurilia* 17
*Sylva Bohemica* 95
*Hercinia* ibid.
*Othonis* ibid.

T.

*Thalaſſio qvid* 88
*Thus in ſacris adhibitum* 30
*Tiliæ ſacræ creditæ* 83
*circa templa plantatæ* ibid.
*Torneamenta unde dicta* 57
*qvando cœpta* ibid.
*celebriora Germaniæ* 58
*Torneamentorum ſpecies* 59
*Trojæ ludus qvis* 56.57

*Trophæa ex armis erecta* 67
*Turcæ vaſtum imperium* 66.76
*Tyrigetæ an iidem cum Thuringis* 63

V.

*Venatio belli progymnaſma* 35
*principum exercitium* 36
*ejus abuſus* ibid.
*Venatores antiqvi* ibid.
*Verba nupta & prætextata qvæ* 88
*Vexilla cruce inſignita* 99.100
*Vincentii Gruneri Zwiccavienſis laus* 68

W.

Wallfarthen *unde dictum* 14

## *Indiculus II.*

## Rerum Hiſtoricarum.

A.

*ACademia Bononienſis fundata* 106
*Heidelbergenſis* 105
*Lipſienſis* 68.106
*Pragenſis* 106
*Adolphi Imp. in Miſnia clades* 60.62
*Alemanni Germaniæ populi* 91.92
*transgreßi in Galliam* ibid.
*fuſi à Clodovæo Francorum R.* ibid.
*Albertus Dux Saxoniæ cum Fratre ex arce Aldendenburgica ſurreptus* 73
*Albertus degener, Landgravius Thuringiæ* 59
*infidus uxori Margarethæ* ibid.
ἄστοργος *in filios* 60

vendit Adolpho Imp. Miſniam & Thuringiam ib.
vincitur à filiis 66
moritur Erfordiæ in egeſtate 61. 66
Altenburgenſe Colloqvium 8
Apitius Alberti degeneris filius naturalis 60

B.

Bavariæ Ducum Inſignia 95
Bellum Ruſticorum 81
Smalcaldicum 83
Bernhardus Anhaltinus fit Dux Saxoniæ 102
Budſecia Wittikindo data 24

C.

Carolus M. Saxonum victor 19
Carolus V. Imp. proteſtantes oppugnat 83. abdicat imperium 84. ejus vox memorabilis 85
Carolus Ludovicus Elector. Palatinus 109
Carolus El. Pal. hodiè regens 113
Clodovæus Francorum Rex 91
Chriſtianus factus ibid.
Comes Palatinus Archidapifer 97
Comites Schirenſes 97
Comites Oldenburgenſes unde 27
Comites Palatini Rheni unde 93. 96
Eorum lineæ duæ 104
modernorum genealogia 113. 114. 115
Conradus Marchio Miſniæ & Luſatiæ 42
Cœnobii Lauterbergenſis, hodiè Petersbergenſis, conditor 43
primus Marchionum Miſniæ poſteriorum 44




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0174-5

D.

*Dalemincii populi Miſniæ 33. qvando domiti* 34
*Dedo Marchio Miſniæ* 37.38
*Dicemannus, M. M. Friderici Admorſi frater* 60
*in templo Thomano Lipſiæ interfectus* ibid.
*in templo Paulino tumulatus* ibid.
*Dietericus M. M.* 38
*Dietericus II. princeps vexatiſſimus* 53
*deſtruxit muros Lipſiæ* ibid.
*veneno extinctus* ibid.
*Ditgremus M. M* 27.33
*Ditmarus M. M.* 37
*Dorotheæ Suſannæ Pal. majores 3. nuptiæ* 7
*Ducat9 Bavariæ datur Ottoni V. Wittelsbachio* 102
*Saxoniæ* Bernhardo *Anhaltino* ibid.
*Duces Saxoniæ lineæ Erneſtinæ* 85.86
*Albertinæ* 86.87

E.

*Eberhardus Dux* Bavariæ 97
Marchionum *Auſtriacorum ſator* ibid.
*Edelhartus Dux Saxoniæ* 18
*Erneſtus, Dux Sax. à N. Kauffungio cum fratre raptus 73. Elector factus ibid. egregius pacificator ibid. tumulatus in ſacello Miſenenſi ibid. ejus uxor ſepulta in templo* Lipſiæ *Paulino* 74
*Expeditiones in terram ſanctam qvando factæ* 98

F.

*Franci unde orti 93. olim potentes 92. Galliam ſubjugârunt* 92
*Freibergenſis metallifodinæ qvando inventæ* 48

*Fri-*

*Fridericus Fortis* M. M. *Alberti degeneris filius* 59. *cur admorſus dictus ibid. à qvo educatus* 60. *bellum gerit cum patre & Adolpho Imp. ibid. felix in bello illo, ibid. captus à Woldemaro* Brand. 62. *liberatur à Nobilibus ibid. Erfordenſes in ordinem redigit* 66. *Saxonicæ domûs ſtatuminator* 61
*Fridericus* Macer *ſive Gravis* 64
*Fridericus Strenuus* 66
*Fridericus* Bellicoſus M. M. 68. *primus Elector ex March. Miſn. ibid. Electoratum ad Wittikindéos reduxit* 69. *Academiam Lipſienſ. condidit* 68
*Fridericus Placidus El. Sax.* 71. *ejus cum fratre Wilhelmo bellum, ſed amicè compoſitum* 72. *filii ex arce Altenburgica rapti ibid.*
*Fridericus Sapiens* 74. *in Palæſtinam abiit* 16. *pacis amantiſſimus* 77. *Academiæ Wittebergenſis conditor* 78. *Imp. electus, ſed recuſavit* 79. *Triginta Comitiis interfuit ibid. Annaburgi mortuus* 79. *Wittebergæ ſepultus ibid.*
*Fridericus Auguſtus Dux Saxon.* 87
*Fridericus II. Elector Palat. Lutheranus primùm dein Calvinianus* 107
*Fridericus III. Elect. Palatinus ibid.*
*Fridericus IV. El. Pal.* 109
*Fridericus V. El. infeliciſſimus ibid.*

G.

*Genealogia Ducum Saxoniæ modernorum* 86. 87.
*Comitum Palatinorum* 113. 114. 115
*Germanis Imp. Rom. ceſſit* 28. 29
*Gothanum bellum* 7

Gotho-

*Gothofredus Bullionius, Dux Lothar. 98. Rex Hieroſolymæ factus ibid.*

H.

*Henricus Auceps, Soraborum expugnator 49*
*Henricus illuſtris M. M. 54. primus Landgravius Thuringiæ è March. Miſn. ibid. Ejus fœdus cum Sophia Brabantina ibid. ludus eqveſtris Northuſæ inſtitutus ibid.*
*Henricus Leo, Dux Bavariæ & Sax. exauctoratus 102*
*Brunſwigam recepit ibid.*
*Henricus II. Leonis filius fit Comes Palat. Rheni 103*
*Hieroſolyma à Chriſtianis expugnata 98*
*Hugo Capetus ex Wittikindeis ortus 27*
*Hunni unde 39. excurrerunt in Germaniam 40. ad Martisburgum cæſi 37. item ad Lycum in Svevia 97*

I.

*Imp. Rom. ad Germanos tralatum 28. 29*
*Johannes Elector Saxoniæ ſuccedit fratri 80. Ruſticorum tumultûs ſedat, ibid. Regalis Albæ conſcendit mœnia ibid. militavit in Italia 81. obtulit Carolo V. Auguſtanam Confeſſionem ibid.*
*Johannes Fridericus El. Sax. Cruciger 82. in bello Smalcaldico captus 84. Electoratu privatus ibid. dimiſſus à Carolo V. ibid. ejus varia cognomina 82 crux in dorſo ibid.*
*Joh. Frider. II. Dux Saxon. in Auſtriam abduct 92*
*Joh. Georgius I. El. Saxon. Pater 4. filiorum 86*
*Joh. Georg. II. El. Saxon. 86*
*Joh. Georg. III. El. Saxon. 87*
*Joh. Georg. IV. Electoratûs hæres 87*

Joh.

*Joh. Wilhelmus Dux Saxon. Sponſus* 2.*ſqq.*
*ejus expeditiones bellicæ* 67.112
*Joh. Caſimirus Comes Palatinus, ejus expeditiones.* (109.112

K.

*Kunigunda Alberti degeneris pellex* 60

L.

*Lauterbergenſe Cœnobium extructum* 43. *reparatum* ibid.
*Lipſia qvando condita* 49. *deſtructa ibid. reparata ibid. munita* 49
*Lipſiæ caſtella olim tria* 54. *Pliſſoburgum inſtauratum ibid. Cœnobium Thomanum ibid. Inſignia* 49.50. *muri olim diruti* 51.52
*Lipſienſium conjuratio* 54. *pœna* 61
*Ludovicus II. Dux Bavariæ Imp. electus* 103
*Ludovicus Barbatus El. Pal.* 107
*ejus filii* ibid.

M.

*Marchiones Auſtriaci unde* 97
*Marchiones Miſniæ anteriores & poſteriores* 44
*Margaretha Alberti degeneris uxor* 59
*ejus periculum & mors* ibid.
*Martinus Lutherus Doctor promotus* 79. *Papalium Indulgentiarum oppugnator, ibid. Wartburgi aſſervatus* ibid.
*Mauritius Dux Saxon. Elector factus* 84
*Pliſſoburgum Lipſiæ inſtaurat* 54
*Maximilianus Imp. Turcarum victor* 76
*ejus bellum contra Venetos* 77

N.

*Nicolaus à* Kauffung/ *Ducum Saxoniæ, Erneſti & Alberti, raptor* 73

*Nobiles Thuringiæ latrocinia exercuerunt* 65

O.

*Oldenburgenſes Comites unde* 27
*Otho M. Dux Saxon.* 28
*Imp. Rom. ad Germanos tranſtulit* 29
*Otho II. M. M.* 44
*Otho dives M. M. munivit Lipſiam* 49
*Otho V. Wittelsbachius fit Elector Palatinus* 102
*Otho Henricus Elector. Pal.* 107
*Othones tres Comites Schirenſes* 97

R.

*Rudolphus, Dux Bavariæ* 96
*rebellis duobus Imp.* 97
*Rudolphus II. Com. Pal. 103. à fratre Ludovico pulſus ibid. ejus fatum miſerabile ibid. filii* ibid.
*Rupertus I. Com. Pal. Acad. Heidelberg. condidit* 104
*Rupertus II. Imp. electus* ibid.
*Ruſticorum bellum* 81
*Rutæ Saxonicæ origo* 9. 10

S.

*Saxonia à Carolo M. victa* 22
*Saxoniæ qvale olim regimen* ibid.
*Saxoniæ Ducum linea Erneſtina* 85. 86
*Albertina* 86. 87
*Sigardus Rex Saxonum* 18
*Smalcaldicum bellum* 81
*Solmenſium Comitum inſignia* 95
*Sophia Brabantina* 55
*ejus fœdus cum Henrico illuſtri* ibid.
*filius Henricus* ibid.
*Sorabi qvando domiti 30; ubi habitarint* 33

Ste-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0179-7

*Stephanus Simerenſis El. Pal. factus* 107
*Svevi ad Luccam profligati* 30

T.

*Theodoricus I. M. M.* 37
*Theodoricus II. M.M.* 53. *ſeqq.*
*Tiagrinus M. M.* 27. 33
*Thimo March. Landsbergenſis* 42
*primus Marchionum M. poſteriorum* 44
*Thomas Müntzer belli ruſtici autor* 80
*capite plexus* ibid.
*Thuringiæ Landgraviatus ad* Marchiones *Miſniæ pervenit* 55

V.

*Vienna à Solymanno Turc. Imp. obſeſſa* 76

W.

*Walpertus* M. M. 28
*Wernekinus* M. M. 18
*Wigbertus* M. M. 28
*Wilhelmus Cocles Friderici* Bellicoſi *frater* 68
*Wilhelmus Friderici Placidi frater* 71
*Wittelsbachia familia* 93
*Wittikindus I. Rex vel Dux Saxonum* 15. *à Carolo* M. *victus ibid. baptizatus* 15. 20. 24. *ejus Epitaphium* 23. *familia* 27. *inſignia* 20. 21
*Wittikindus II.* 18
*Wittikindus III.* 27
*Woldemarus* M. Brandeb. *capit Fridericum Admorſum* 62

Z.

*Zorbeca Wittikindo* M. *data* 24

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0180-9

07
30
37
99.
7.33
42
44
80
bid.
ſniæ
55
76
28
18
28
68
71
93
arolo
pita-
20.21
18
27
Ad-
62
24

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0182-0

Ve 716

ULB Halle 3
004 778 693

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0183-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0184-0

S … S

DN … V.

DUC … IÆ

E

DN … O,

D …

LA … N-

GIA … Æ,

SUPE … SA-

TIÆ, … SI-

BUS … EN-

NE …

DC … S

SA … A-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-17755-p0185-6